Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Elzevier

KW 224
D21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

optima haec est Editio Elzeviriana

Eadem extant duae priores
Editiones Elzevirianae
ut refert quae Aº 1663
et quae Aº [illegible] Loco Harderovicenso
Amstelodami sunt impressae
quorum [redacted]
characteres Literarum non
iidem.

---

in appendice quaestio
tractatur
Utrum sit optandum
Monarchia unica
universalis, nec ne?

Non est confundenda haec Editio
cum illa quae Aº 1640 Amstelodami
sine nomine impressoris prodiit
in forma 12mo, et cum charact: Lit:
majusculis tot:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21



TH. CAMPANELLA
De
MONARCHIA
HISPANICA.

Editio nouiſsima, aucta & emendata ut præfatio ad lectorem indicat.

Amſterodami,
Apud Ludouicum Elzeuirium.
Aº 1653.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

*Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Do-
ctiſſimoque Viro,*

D. IOACHIMO VICOFORTIO,

Equiti, & Sereniſſimæ Haſſiæ
Lantgraviæ à Conſiliis.

LIbellum hunc, quem de Monarchia Hiſpanica ſcripſit Clariſſimus Campanella, N. T. dico & offero, Nobiliſſime VICOFORTI. *Nuper tuo beneficio meus factus jam typis excuſus tuus iterum eſſe deſiderat. Soles quippe, præter eas curas, quas optimis maximiſque Principibus commodas, etiam literarum & elegantiorum ſtudiorum meminiſſe; & eorum nobis copiam facere, quæ vel ab antiquitate precium habent, vel argumenti rarioris novitate lectorem delectant. Hujus generis eſt opuſculum præſens, titulo Monarchiæ Hiſpanicæ grande & illuſtre. Verum non tam quid ſit potentiſſimus Hiſpaniarum Rex, quam quid vel ſua vel aliorum deſtinatione eſſe optet, aut opta-*

verit aliquando, declarat. Ne Monarchia ſit, aut fiat unquam, ſedulo cavebunt Galliarum & Britanniarum Reges, cavebunt ſedulo Fœderati Ordines. quorum illi magnis ſubinde & ſumptuoſiſſimis bellis æraria Hiſpanica accidunt; hi præter Belgii validiſſimas terras, Indiam utramque illi claris ſucceſſibus ereptum eunt. Quam hic Monarchiam Philippo adſcribit ſacri ordinis autor, Platonicæ mihi Reipublicæ ſimilior videtur, quam vero ſtabilique Imperio. A Deo, Prudentia & Occaſione imperia ſuſpendit. Sed, ut ſe res dant, nondum in fatis eſt, unum omnibus populis Hiſpanum imperare. Si prudenti machinatione eo contendit Rex Catholicus, tot prudentum Principum contrariis conſiliis nondum adeptus eſt, quod intendit. Militavit olim pro Monarchia Hiſpanica non una occaſio, ſed quia fronte capillatam prehendere neglexit, jam fruſtra circa poſt calvam ſudat & luctatur. Leges non ubique malas Hiſpaniarum Regibus præſcribit Campanella. ſed quibus modis Monarchiam ſibi comparare poſſit, infelicius tractat, quia ignoravit ipſe. Sunt enim hæc ſupra cucullum & prædicatorium ordinem. Vir doctiſſimus uti multa ingenio complexus fuit, ita liberius audaciuſque quam ſolidius de rebus Philoſophicis & Principum arcanis pronunciat. Ipſum

Ari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Ariſtotelem, quo nemo mortalium plura novit, ordinatius ſcripſit, clarius effatus fuit, cap. 4 pag. 13. magnarum rerum ignarum, Logicæ tantum minutiarumque peritum eſſe *hoc ipſo libello affirmat. Sed condonandum hoc viro ſua potius, quam aliena; nova, quam vetera, admiranti. Non eſt meum, Vir præſtantiſſime, de Campanella judicium ferre. Sed aliorum ſententiam, qui ſcripta viri maximi & erectioris ingenii Monachi, attentius legerunt, expono. Tibi autem libellum hunc inſcribo, non quod Monarchiam & potentiam Hiſpanicam ames, ſed quia eam humeris & cervicibus noſtris decuſſam mecum gaudes. Vale, Vir Nobiliſſime & Clariſſime, & officium hoc meum, qua es humanitate & erga amicos facilitate, benigne interpretare.* Amſtelod. XXVI. Iul. Anno cIↃ IↃc XL.

N. T.

Obſervantiſſimus

LVDOVICVS ELZEVIRIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Benevolo Lectori.

POSTEAQVAM inſpeximus hujus libri utilitatem, Authoriſque celebritatem, nec minus depravationem, quam prima editio ex imperitia Tranſlatoris contraxit, & ſecunda Hardervvicana non emendavit, æqui bonique duximus ut duo repeteremus & tertium emendaremus, & tibi, BENEVOLE LECTOR, non ſolummodo typi noſtri nitorem, ſed & ſenſus rectiſſimi enucleationem daremus & ederemus. Quæ omnia ſi cum prioribus editionibus conferas, tua humanitas facile diſcernet noſtram evulgationem nihil quicquam cum iis habere commune. Nam quid veri intellectui tuo dare poteſt ſenſus depravatus & hinc inde male verſus? Hic enim facit, ut falſa cum veris & vera cum falſis facillime confundantur & quidem ſic miſceantur, ut alterutrius intentio & ſcopus dignoſci non queat, cujus vitii tanta paſſim in prioribus typis percrebuit ubertas, ut integræ paginæ deſcribi, imo ſingulæ propemodum lineæ ſecundum manuſcriptum Exemplar corrigi debuerint. Ex quo facile rationali homini colligere eſt (& ut res per ſe loquetur) quod noſtra Editio non ſit tertia, quamvis poſt alias duas ſequatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quatur, nec harum pediſſequa, ſed rectrix quodammodo, moderatrix & magiſtra. Et ut ad cætera duo ſuperius in principio à nobis tacta, celebritatem nempe & utilitatem Authoris hujus THOMAE CAMPANELLAE accedamus. Fuit hic monachus Dominicanus, & ut ex ſcriptis ejus liquet, vir perſpicacis ingenii, magni ſtudii, plurimæ cognitionis & experientiæ. quippe quoddam cujuſque regionis, provinciæ, regni & Imperii ſingulare ſpeculum politicum, qua providentia, juſtitia, conniventia, rigore, manſuetudine, & quibus hæc contraria ſunt, vel ea comitari ſolent, regi debeant, quatenus regna & imperia, magna & parva ceciderunt & ſurrexerunt; damna item & pericula & commoda variis exemplis tam profanis quam ſacris illuſtrata monſtrat, quæ latius in hoc Libro (ſingulari aliquo adhuc Epilogo & Encomio adaucto complectendo cap. 27. ſimul diſcurſum De Belgio ſub Hiſpani poteſtatem redigendo antehac peculiariter editum) non cum exiguo ingenii fructu cognoſcuntur, perfectiorique typo & novo velut ſtylo tibi exhibentur. Tu his fruere & noſtrum laborem in omnium utilitatem adhibitum apud alios commendatum habe. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

INDEX CAPITVM.

Cap. I. DE cauſis humanorum principatuum Pag. 3
II. Cauſſæ Imperii Hiſpanici. 6
III. De prima Imperiorum cauſſa, Deo videlicet. 8
IV. De Imperio Hiſpanico ſecundum cauſſam primam. 13
V. De ſecunda cauſſa, Prudentia ſcil. 23
VI. Quinam modus cum Eccleſiaſticis ineundus. 36
VII. Quæ præterea de prudentia & opportunitate adduci poſſunt. 42
VIII. Cauſſa per quas Monarchia Hiſpanica augeri & minui poteſt. 43
IX. De Rege. 44
X. De ſcientiis, quibus Monarcha admirabilis efficitur. 62
XI. De legibus bonis & malis. 67
XII. De Conſilio. 70
XIII. De Iuſtitia ejuſque contrario. 76
XIV. De Baronibus & Nobilibus Imp. Hiſpanici. 79
XV. De Militia. 86
XVI. De Theſauro Hiſpaniæ. 105
XVII. De populi amore & odio, item de Conjurationibus. 121
XVIII. De Concionatoribus & Prophetiis. 136
XIX. De regnis Hiſpanorum propriis, deque regnis hoſtilibus unitis & diſcordibus. 150
XX. De Hiſpania. 163
XXI. De Italia. 169
XXII. De Sicilia & Sardinia. 177
XXIII. De Germania. 181
XXIV. De Gallia. 187
XXV. De Anglia, Scotia & Hibernia. 201
XXVI. De Polonia, Moſcovia, & Tranſſylvania. 210
XXVII. De Flandria, & Germania inferiori. 213
XXVIII. De Africa. 248
XXIX. De Perſia & Catajo. 251
XXX. De Magno Turca, ejuſque Imperio. 255
XXXI. De altero Hemiſph. & Mundo novo. 274
XXXII. De Navigatione. 289
Acceſſit Appendix, ubi tractatur Quæſtio illa, Vtrum Monarchia univerſalis ſit optanda & ſperanda. 302
Additus etiam Epilogus & Encomium Magni Imperii Romani. 370

THO-

THOMÆ CAMPANELLÆ

DE

MONARCHIA HISPANICA

DISCVRSVS.

PROOEMIVM.

Monarchia univerſalis profecta ab Ortu verſus Occaſum, per manum Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, (qui ab aquilâ Imperiali in tria capita partiti fuerunt,) pervenit tandem ad Hiſpanos: quibus, poſt diuturnam ſervitutem & diremptionem, fato univerſa conceſſa eſt, majori cum admiratione quam præceſſoribus ejus, ad quam illa etiam, ut eſt rerum humanarum vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ciſſitudo pertinebat. De ejus regimine & augmento cum nihil propoſuerim diſſerere, id quod Excell. veſtra, domine Alfonſe, à me flagitavit, liberatus infirmitate & decennali afflictione, etiam deſtitutus libris, in hac cellula mea quaſi concluſus, brevi ſtylo, ſuccincteque, illi, quid de hac re ſentiam, exponam; in medium producens uniuſcujuſque cauſſas generaliter non phyſico, neque theologico, ſed politico more; poſtea deſcendam ad ſingularia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

CAPVT I.

De cauſſis humanorum principatuum.

IN adquiſitione & moderamine cujuſvis dominii, tres cauſſæ concurrere ſolent; videlicet, Deus, Prudentia, & Occaſio. Quæ, omnes conjunctæ, Fatum appellantur. Quod nihil aliud eſt, quam conſenſus omnium cauſſarum agentium virtute primæ. Hinc naſcitur Fortuna: quæ eſt rerum terrenarum ſucceſſus, ſive bonus ſit, ſive malus; qui recte cognitus, Prudentia; non recte cognitus, Fatum, Fortuna, vel etiam Caſus, dicitur. Sicuti, ſi quis invenerit id quod diu quæſivit, appellatur intelligentia, & Prudentia: ſi quis vero invenerit haud quaquam quærens, nec ſciens ubi ſit, appellatur Caſus, aut Fortuna. Harum trium cauſſarum una quandoque plus dominatur in rebus, quam altera, aut etiam duæ. Sed enim, ſi verum fatendum eſt, politice omnes tres adſunt. Perpende regnum Iudaïcum, in quo Deus primas partes egit, qui mittendo Moyſen & Aaronem, præſtitit reliquas duas cauſſas: quippe Moyſes prudentiſſimus exſtitit, non ſolum in rebus divinis, verum etiam humanis; cum omni Ægyptiorum ſcientia imbutus fuerit, & ſub auſpiciis Pharaonis bella

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

geſſerit contra regem Æthiopiæ: quem etiam vicit, & cujus filiam matrimonio ſibi junxit, ut Flavius Ioſephus ac Philo teſtantur: nec tamen aſpernatus eſt conſilium Ietro ſoceri ſui de juris adminiſtratione in plures judices partiendo. Quid, quod populus Iſraëliticus, ſervitute Ægyptiaca oppreſſus, Occaſionem quoque ab illo arripuit excutiendi jugi? Vnde major illi fides & ſequendi lubido apud populum fuit, concurrente quoque occaſione ab improbitate Palæſtinorum. Quin & Monarcha ſupremus Deus ultro ſuis prudentiam dedit; ſicuti Apoſtolis & Pontifici Romano; cui acceſſit Occaſio; quæ nihil aliud eſt quam ſcire uti tempore; unde Imperii Romani diviſio, Iudaïci vero exitium ſecutum eſt. Verum, ubi humana potentia ſola apparuit, Deus etiam cooperatus eſt, quamvis minus manifeſte. Quare Aſſyrii Imperium occultis de cauſſis nacti ſunt, quæ tamen quandoque apparuerunt: ſicut videre eſt in Nabuchodonoſore, quem Deus Ægypti præda remuneratus eſt, quod ejus opera contra ingratos Hebræos & contra Tyrum uſus eſſet. Et in Eſaia Deus regem Iudæorum increpat, quod cum ſuo auxilio, populi cæſi, profligatique eſſent, ille nihilominus tamen id propriis ſuis viribus acceptum retuliſſet. Hujus

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

autem rei occaſio fuit, perverſitas gentium, quæ nulla prudentia regebantur. In Medorum quoque Regno eadem occaſio plurimum valuit, cum Deus (quemadmodum ex Daniele liquet) Sardanapalo luxu deliciiſque muliebribus diffluente, in ſcenam prodiit, & prudentia ſingulari inſtructum Arbacen Mediæ præfectum excitavit. In Perſico Imperio fortitudo Cyri comparuit, & Media ſucceſſore deſtituta occaſionem præbuit; Deuſque ipſe in Eſaia Cyrum, unctum ſuum appellans, nationes ſibi ſubjugare edocuit. Quis vero dubitat de Alexandri Magni Macedonis prudentia? quaque occaſione Græci inter ſe diviſi, & orientales populi in fœdiſſimas quaſque libidines ſe præcipitarunt? ubi divina potentia evidentiſſime fuit manifeſtata? quandoquidem, ut Propheta Daniel atteſtatur, angelus regni Græci multum in id operis impendit. In Romano etiam Imperio Prudentia & Fortitudo plurimum potuit. Verum Italia in plures Reſpub. dirempta, & Carthaginenſes in ſe diviſi, Occaſio fuerunt. Et plerumque ad illam partem, quæ magnum aliquod imperium diſſolvit, omnes reliqui mundi principatus ſe inclinant: Et certe Deus proſperitatis Romanorum, ob eorum virtutes morales, maxima cauſſa fuit, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Auguſtinus in lib. de Civit. Dei demonſtrat. Nullus tamen locus evidentius oſtendit, quid Occaſio poſſit, quam Sicilia, eo tempore cum Petrum Arragonenſem contra Andegavenſes evocavit; unde Veſperæ illæ celeberrimæ nomen proverbio dederunt. Quanquam negari haudquaquam poſſit, divinis illum Pontificis auſpiciis, & ingenita ſibi prudentia, in illo conamine plurimum adjutum. Et, licet ſane Hiſtorici trium harum cauſſarum raro mentionem faciant, tamen libri Regum Hebræorum, & ſucceſſiones in illis traditæ, abunde id convincunt, oſtendentes, quo Prophetiæ aut Fortitudo inclinant, eodem etiam Fortunam Imperii vergere.

CAPVT II.

Cauſſæ Imperii Hiſpanici.

EÆdem igitur tres cauſſæ unanimiter in Monarchia Hiſpanica concurrerunt. Nam poſtquam illa octingentos prope annos ſub auſpiciis Altiſſimi contra Mauros feliciter bellum geſſiſſet, produxit tandem milites adeo ſtrenuos, ut, munita robore & prudentia, victis barbaris, ad majora occupanda arma ſua conveterit. Deinde non ſine divino inſtinctu, à Papa grandi indulgentiarum & cruciatarum theſauro adjuta, Regeque

titulo

titulo Catholici, id eſt, univerſalis, honorato, tantam fortitudinis ſibi gloriam adſcivit, ut Genuenſes eo alacrius & promtius operam ſuam acquirendo Novi Orbis dominio illi ultra addixerint. Conſtat denique, quod, dum haſtis & equis bella adminiſtrata fuerunt, Galli, Gothi, & Longobardi; dum vero gladiis, Romani imperium latius propagarunt. At poſtquam Aſtutia plus valuit Fortitudine, inventæque Typographiæ, & Tormenta bellica, rerum ſumma rediit ad Hiſpanos, homines ſane impigros, fortes, & aſtutos. Tunc enim Occaſio, Arragonenſem cum Iſabella Caſtiliæ Regina conjunxit, nullis maſculis hæredibus ſuperſtitibus; ſimulque acceſſit linea Imperialis Auſtriacæ domus; ad quam ipſam defectu maſculæ in Burgundica familia prolis, plurimorum in Belgio & alibi dominiorum non exigui momenti hæreditas devoluta erat: ſecuta etiam Novi Mundi per Chriſtophorum Columbum detectio; & alia itidem acceſſio ex ruina regis Luſitaniæ: quæ omnia Monarchiam Hiſpaniæ illuſtrem admirandamque reddiderunt, &, præter cætera, Maris dominam effecerunt. Quibus ſe denique adjunxerunt clades Gallorum, Anglorum & Germanorum, religionis cauſſa inter ſe diſſidentium. Vnde facile

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

huc potentiæ Hiſpanus evectus eſt. Immo plus etiam valeret, & totius mundi dominus evadere poſſet, ſi Turcicum Imperium evertere aggrederetur; ut Perſicum olim Alexander, & Romani Punicum. Illorum enim Imperium per Chriſtianorum peccata emerſit, & etiamnum angelus illius ſuperior eſt. Quippe interea dum Cæſariani à Pontificiis, Galli ab Anglis, Veneti à Genuenſibus diſſident, Deus Turcas ſuſcitavit, & utrique Imperio immiſit: quandoquidem Chriſtiani levius pro delictis premebantur ab Arabibus, Tartaris, & aliis Trans-alpinis populis; ſicut in Monarchia Papali oſtendi. Idemque nobis hodie per diverſas hæreſes diviſis Turca eſt, quod Aſſyrii olim Hebræis fuerunt, in Regnum Iudaïcum & Iſraëliticum factione diviſis; niſi tamen angelus Hiſpanicus nobis quid auxilii tulerit; ſicut alibi ſcripſi.

CAPUT III.

De prima Imperiorum cauſſa, Deo videlicet.

APud omnes gentes conſtat, Prudentiam ſolam, aut etiam cum Occaſione conjunctam, ad acquiſitionem aut regimen dominiorum non ſufficere: quandoquidem ſcimus, arbitrii libertatem in voluntate, non vero in actione aut paſ-

ſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſione conſiſtere. Fieri enim poteſt, ut quis hac veſpera ſibi proponat, aut navigare cras, aut ſtudere, aut arare, aut aliquid aliud agere; cum pluviæ repente effuſæ, aut tempeſtates ex improviſo obortæ, illud noſtrum tam prudens conſilium ſubito impediant, neque ex conſilio, ſed è re nata agere cogant. Huic vero, qui eo propoſitum ſuum cauſis ſuperioribus ſubalternari novit, plerumque res ſuæ proſpere cadere ſolent. Sic igitur homines prudentes cauſas ſuperiores, Deum, voluntatemque divinam, unde pendet ſeries rerum futurarum, ſatagunt cognoſcere. Vnde quidam Deum quæſiverunt in ſtellis: quibuſdam quoque per ſtellas, ſicut Magis, reſpondit, ut in nativitate Redemptoris noſtri: & fortaſſe huic aut illi Aſtrologo pluviæ matutinæ nihil detrimenti afferent, eo quod illas providit, actioneſque ſuas exinde Deo volente inſtituit; qui pro ſingulari ſua benignitate ibi inveniri vult, ubi ipſum ſincero corde quærimus: immo ſi res flagitat, etiam illis, qui eum non ſincero corde quærunt, reſpondet; quod videmus in Baalamo, cui forte etiam non rogatus reſpondit; & in rege Saulo, qui per Samuëlem certior de rei eventu factus eſt, quamvis ille mala arte diabolum, non Samuëlem invocaſſet: ut id ipſum ait S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Thomas 2. 2. 4. 140. Nos quoque perſuaſum habere debemus, verum Deum ad diabolicas Romanorum, Græcorum, & Chaldæorum ſuperſtitiones reſpondiſſe, miniſterio angeli cujuſque regni. Nam inevitabile voluntatis ſuæ decretum, illarum Monarchiarum majeſtatem modo ſurſum urgebat, modo deorſum verſus inclinabat. Chaldæi igitur, Medi itidem, & Perſæ, ſi quando prudentia illos deſtituit, Deum per ſtellas invocarunt: Græci Deum in oraculis Delphicis, Romani in auguriis auſpiciiſque, Philoſophi ſaniores in natura, quæſierunt. Sicut Pithagoras in numeris; qui ſunt radius quidam divinitatis per orbem diſſeminatæ. Multo rectius vero Hebræi per ora Prophetarum ad ipſos miſſorum eumdem inveſtigarunt. Quem modum ſequuti ſunt Chriſtiani; quandoquidem Archangelus Michaël, ab iſtorum Imperio ad Eccleſiaſticum tranſmiſſus eſt. pro certoque habendum videtur, Imperio quopiam devicto, angelum illius ad illud quod vicit, tranſire. Arcanum hoc percalluerunt Romani, qui ideo Angelum ſuum tutelarem ignorari voluerunt, ne ab aliis nationibus invocaretur. Quare dici poteſt, Perſicum angelum aut ceſſiſſe Græco, aut à Perſis ad Græcos tranſiiſſe; & conſequenter, angelum Conſtan-

tino-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tinopolitanum jam pro Turcis dimica-
re, aut loco mutato à partibus Germaniæ
ſtare, & conjunxiſſe ſe cum illius ange-
lo. Vbi vero plures angeli, ibi etiam ma-
jus incrementum, aut fortius ſtabilimen-
tum. Hinc Scripturis edoctus, dico, quod,
ſi quando Deus Imperium aliquod blan-
de alloquitur, aut contra, id non de illo
ſolo, ſed etiam de ſequentibus accipien-
dum eſſe. Nam, ni id foret, Deus haud-
quaquam notitiam futurorum Eccleſiæ
ſuæ per Prophetas revelaſſet: quod dice-
re, abſurdum eſt; & ſequeretur, à ſtellis
& aliis rebus eam quærendam eſſe. Quod
cum partim etiam à Papa prohibitum
ſit, omnia proviſa eſſe credamus neceſſe
eſt. Cum igitur Deus de Imperio Baby-
lonico loquitur, id intelligendum eſt quo-
que de Perſico, Græco & Romano, quæ
illi ſucceſſerunt. Vnde Petrus & Iohan-
nes Romam vocant Babyloniam: &,
quod de Hieroſolyma, & de regno He-
braïco dictum eſt, id accipiendum quo-
que de Eccleſia Romana; quæ claves
Davidis & nomen Hieroſolymæ acce-
pit; ſecundum id quod dictum eſt Ange-
lo Philadelphiæ. eſt autem Philadelphia
idem ac amor fraternus: ſicut ROMA,
inverſo literarum ordine, eſt Amor. Et
Deus ſæpe Eccleſiæ ſuæ minatur; Re-
movebo Candelabrum tuum de loco
ſuo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſuo, niſi reſipueris. Nam eodem modo angelus Dei ab eccleſia in eccleſiam, (ſicut exempli gratia ab Anglia, hæreſi infecta, in Boruſſiam catholicam,) & à Regno in regnum, tranſmigrare dicetur. Quod etiam Ezechiel, Ieremias, & Eſaias, de principe Tyri dixerunt, interdum de elapſo angelorum è cœlo extruſorum imperio id accipiendum: ubi & id, Quomodo cecidiſti lucifer! quod de rege Chaldaico dictum eſt, de ejus ſucceſſoribus, & de cœleſti ſic dicto magni diaboli imperio, in ſignaculum ſimilitudinis ſumitur. Quippe Imperia, & aliæ res terrenæ, ſimiles ſunt cœleſtibus; ſicut & res maritimæ rebus terreſtribus. Vnde inventus piſcis epiſcopus, vitulus, & calamarus; quandoquidem omnes ab ordine rationis primæ, ſeu divinæ ideæ, quod Verbum æternum eſt, dependent. Vnde clavem inveniſſe mihi videor, qua mihi aditum patefaciam ad cognoſcendum ortum, regimen, incrementum, & finem regni Hiſpanici, per cauſſàm primam, quam Deus in Prophetis aperuit; poſtea quoque ad Prudentiam & Occaſionem, quam Hiſpani prehendere debent, progreſſurus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

CAPUT IV.

De Imperio Hiſpanico ſecundum cauſſam primam.

EVidens eſt, Prophetiam de fine mundi, tam in natura, quam in arte politica, mox completum iri; poſtquam ſtellæ fixæ, Scorpionis & Tauri, mutarunt ſitum, & ſol terræ decies mille milliaria propinquior jam eſt, totque eclipſes apparent propter æquinoctia tranſpoſita; quæ ex opinione Platonis (quamvis Ariſtoteles, rerum magnarum ignarus, & Logicæ tantum, minutiarumque peritus, id neget) magnas mutationes prædicunt: iſtæ exorbitationes rerum cœleſtium, diluvia etiam, & incendia univerſalia, maximarumque mundi Monarchiarum mutationes, ſecundum Euangelium, (cum quo etiam conſentit Seneca,) ſigna ſunt intereuntis mundi. Imperium Chriſtianum, res ſane notatu digna, jam 1600. annos duravit: qui numerus è ſeptenario & novenario compoſitus, fatalis omni Monarchiæ eſt; quemadmodum Pythagoras & Plato ſcripſerunt, atque ex Moyſe etiam intelligi poteſt, cum de Iubilæo & hebdomade loquitur; item ex Ieremia in Sabbatiſmo terræ ſanctæ; & ex Medicina, circa curationem febris, & varietatem complexionum, & æta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ætatum; Ex Auguſto denique Cæſare qui ad nepotem ſuum ſcribens ſibi gratulatur, quod anno ſexageſimo tertio haud obiiſſet: qui annus, cum novem ſeptenariis conſtet, periculoſiſſimus, ac maxime fatalis eſt. Quin & Deus ipſe rem omnem creavit in numero. Hoc igitur tempus magnam vel amplificationem, vel inclinationem & mutationem, in rebus omnibus præſagit. Videmus etiam, prophetiam de monarchiis ad finem adſpirare; quandoquidem Balaam, ut eſt apud Moyſen, Num. XXIV. Monarchias ſupputans, in illa, quæ Italiam concernit, ſubſiſtit, inquiens: Venient in trieribus ex Italia, & ſuperabunt Aſſyrios, & vaſtabunt Hebræos, & ad noviſſimum ipſi perdentur. Vbi locutus eſt de Monarchia Hiſpanica, neceſſe igitur eſt, ut Italicæ inſeratur. conſequenter fatum Tyri ſumi quoque poteſt de Hiſpania, cum Carthago colonia Tyri fuerit, & propter crebras navigationes, ultro citroque factas, Tyriorum mores induerit. Hinc orti Hiſpani; qui, Carthaginenſium quoque aſtutias, mores, & Deos amplexi, poſtea Chriſtiani facti, omnibus illis malis, quæ Deus in Ezechiele, Ieremia, & Eſaia Prophetis, Tyro minatus fuerat, obruti fuerunt: nec non in re nautica itidem, ut Tyrii pluri-

mum

mum valuerunt. Quod ſi jam Hiſpania Tyri ſuperbiam etiam imitatur extollendo ſe ſupra Eccleſiam, quamadmodum Tyrus fecit, pejus quoque peſſundabitur, nec imperii ſui terminos propagabit. Verumtamen ante finem, concors Papæ, felicius aget, &, in profunda pace, ſecure ac firmiter regnabit, commercia in Eccleſia exercens, Pontificemque cum Cardinalibus, ceu filia Tyri, quemadmodum Pſalmi & Eſaias memorant, muneribus ſollicitans: nec tamen in illo univerſalis imperii gradu erit ad quem aſpiraverat. Enimvero de his ſecreto tractandum, non palam ſcribendum eſt. Quantum ad ambitionem ejus attinet, dico, quod, ſecura domus Auſtriacæ auſpicia, humiliabitur: quandoquidem Eſaias dicit, Onus jumentorum Auſtri; innuens, nihil illam effecturam eorum quæ verbo tenus ſum declaraturus; ſcilicet, prout nunc regnat; verum corruet, tanquam muro oppreſſa, quemadmodum Tyrus; Hinc apud animum ſuum perpendens malum, tandem emerget; certior facta, quod, poſtquam domus Auſtriaca Hiſpanicæ domui inſerta fuit, Mundus Novus ſub illius auſpiciis fuerit detectus, atque naves auro onuſtæ, quæ ſunt illa jumenta Auſtriæ, ut & titulus Monarchiæ, atque hic tantus principa-

tus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tus, ſub Carolo V. initium ceperit; ſi modo ille tam bene ſciviſſet retinere illum, quam acquirere. Verum quia nec ſub hoc quidem fatum reſpondit Hiſpaniæ; accuratius ſcripturæ erunt perſcrutandæ, ut tempori conveniant; quemadmodum Politicus quidam dixit, & nos, Deo volente, dicemus; ut perveniamus, quo illi tendunt. Sed ego dico, finem Monarchiarum jam adveniſſe, & quod in eo jam ævo ſimus, quo omnia Sanctis & Eccleſiæ ſubjici debent; quod futurum eſt, finitis quatuor Monarchiis, & mortuo Antichriſto, qui tres hebdomadas cum dimidia durabit, ſecundum Lactantium, Irenæum, Tertullianum, Originem, Victorianum, S. Bernardum, Abbatem Ioachimum, Dantem, Petrarcham, & alios Theologos, Philoſophos, Prophetas & Poëtas; ſicut alibi declaravi. Statua quoque Danielis jam collapſa eſt; quatuor item beſtiæ, tres hebdomades, & duodecim pennæ aquilæ, de quibus libro IV. Eſdræ, jam finitæ ſunt, ſcilicet una cum Imperio Romano: quod cum ſecundum eundem, Imperium ſit Babylonicum, per ſucceſſionem diviſum eſt in tria capita; primo in dextrum, quod eſt Occidentale ſeu Germanicum; deinde in ſiniſtrum, eſtque Orientale Turcarum & Saracenorum imperium; & me-

& medium, quod eſt Conſtantinopolitanum. Itaque in Scripturis dextrum & ſiniſtrum ſecundum Moyſen, non vero ſecundum Ariſtotelem, explicatur. Iam vero, ſiniſtrum horum trium capitum, ut idem propheta atteſtatur, devoravit medium, Turcicum ſcilicet Conſtantinopolitanum, tempore Mahumetis ſecundi. Iam reliquum eſt, teſte eodem propheta, ut dextrum Occidentale, quod eſt Germanicum, devoret ſiniſtrum, Turcicum videlicet. Cum hoc congruit Aſtrologia Arguati; quæ dicit, Hungariam Turcæ ruinam minari; imperiumque Lunæ in duos filios imperatoris Turcici, qui decimus quintus imperaturus ſit, partitum iri, quando luna in duo cornua curvabitur. Atque hoc ſidus ſane terribile eſt; & manifeſtum faciet, quod ille, qui Turcicum Imperium ſubjugabit, dominus erit orbis terrarum. Domus ergo Hiſpanica magnam monarchiam adipiſci non poteſt ſecundum fatum, niſi ſub auſpiciis Italiæ, ſeu Imperii Romani, quod eſt Germanicum & dextrum caput. Regi igitur Hiſpaniæ ſummis viribus annitendum eſt, ut in Imperatorem eligatur; cum non ſolum Deus, ſed etiam Prudentia humana oſtendat, eum conſecuturum eſſe omnia quæ optat. Cujus rei principium ſatis apparuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

in Carolo V. Hiſpaniarum rege, ad Imperii clavum ſedente, qui ſub auſpiciis Imperii, viribus etiam totius Italiæ & Hiſpaniæ ſubnixus, Tunetanos & Regem Galliæ vicit, atque Germaniam debellavit; adeo, ut Solymannus, proſperam Regis hujus fortunam perſpiciens, jure dixerit, ſibi ab ipſo timendum eſſe; nec voluerit, quamvis viribus ſuperior, ſub mœnibus Viennæ prælium cum illo committere. Videmus itaque quo fati auſpicia inclinant, eodem etiam omnem reliquam fortunam vergere; & contra, omnia in caſſum fieri quæ fato invito ſuſcipiuntur. Hic & aperiam aliud myſterium: nimirum, omnia imperia, ſecundum prophetiam Noæ, deſcendere à filiis Iaphet: Dilatet Dominus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, & ſerviat ei Cham: & à Cham non niſi ſervos deſcendere, & tyrannos, qui revera ſervi ſunt; ſicut ego alibi demonſtravi. Quare Imperium Turcicum venit à Iaphet per Magog, & à lege Sem per Iſmaëlis lineam, à quo deſcendit Mahumet: ſicut ſemper uſuvenit, ut Septentrionales, armis Iaphet feroces, & victores, à ſapientibus Meridionalibus, Semi videlicet proſapia, leges ac jura peterent. Alio tamen modo Imperium ſucceſſores quoque habuit tyrannos à Cham deſcenden-

tes,

tes, ſed interventu Germanici, quod à Iaphet ortum habet; ſicut Hiſpanus ipſe ſuum genus per Tubal ad Iaphet refert, & quod ad Legem, Romanus Chriſtianiſmus ad Sem, reſpectu Chriſti qui verus Sem, per lineam Iſaaci. Cum igitur Imperium promiſſum ſit Iapheto, ad Hiſpanos potius ſpectat, qui arctius & propius à Legiſlatore deſcendunt, quam Turcæ, & victoria illorum huc collimat, ut in domo Sem habitent, eo quod majorem Italiæ partem obtinent, Papa inveſtitore, qui deſcendit à Sem. De quo hic plura loqui occaſio non permittit, quamvis libens vellem & deberem: hoc tantum dico, illos, ſecundum fatum, fieri rerum Dominos non poſſe; niſi in quantum fiant liberatores Eccleſiæ, eripientes eam è manibus Babyloniæ, id eſt, Turcarum & Hæreticorum. Sub tali auſpicio Mauros vicerunt, Deo illos tanto imperio munerante. Palam conſtat, Eccleſiam Babyloniæ ſubjectam eſſe, quamdiu militat: & alibi dixi, quod etiamnum retineat dies Martis & Veneris & menſes Auguſtum cum Iulio; qui Romanæ Babylonis fuerunt; patiturque Eccleſia graviſſimas perſecutiones ſub infidelibus Babyloniis in Africâ, Aſiâ, & Europâ, maxime vero in Germania, Gallia, Anglia, & Polonia. Hæc igitur diſſertatio

pronis auribus accipienda eſt, eo quod omnes res Hebraicæ, typus & figura ſunt rerum Chriſtianarum. Ille igitur qui Eccleſiam hiſce malis liberabit, evadet univerſalis Monarcha, quia fungetur officio Cyri Chriſtiani, quem ſuſcitabit DEUS, ſicut Eſaias dicit, ad ſubjugandum totum mundum, reſtaurandam Hieroſolymam, ſolvendam captivitatem, & ædificandum templum DEO cœli & terræ, in quo continuum ſacrificium inſtituetur, ſicut Daniel, Eſaias & Eſdra prædixerunt. Cyrus etiam de proſapia Iaphet fuit, per Medos: &, quamvis Turca etiam ab illa ſit, tamen officium hoc non exequetur, cum ſit factus hoſtis, ſanciendo aliam diverſam legem. Galli hoc officium ſub Carolo Magno ſibi vindicarunt: qui, Papam è manibus regum Italiæ, Longobardorum & Gothorum, ſæpe liberando, tantam potentiam adeptus eſt, ut omnibus fuerit formidabilis: factuſque fuiſſet Monarcha univerſalis, ſi filii ipſius concordes manſiſſent, & imperium ſcite adminiſtraſſent. Verum diſcordiæ inter Chriſtianos, & ſecuta hodie hæreſis imperium Gallicum peſſumdederunt; aut certe ſpem omnem tantæ magnitudinis illi ademit. At Hiſpani, Mauros continuis cladibus extirpantes, potentes evaſerunt; Conſtantinopolis contra, quod ad

Arrium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Arrium, Sabellium, & alios à Papa defecerat, corruit. Veneti quoque per Papam multum emerſerunt, propterea quod huic auxilium contra Fridericum tulerunt. Vt ita manifeſtum ſit, quod is, qui cum fato manum operi admovebit, proſpero ſucceſſu utetur; contra vero qui adverſante fato ad agendum proſiliet, contrarium quoque eventum ſortietur. Quod etiam ratione politica demonſtrari poteſt. Quippe qui jus Papæ propugnat, propugnat jus univerſale totius Chriſtianiſmi, qui à Papa dependet. Nam pro juſto religioſoque habetur, ideoque eum omnes ſequuntur. Et religionis opinio cauſſam aliam omnem vincit; ſicut alibi dicemus, & jam diximus. Tum quoque Papa rerum omnium eſt arbiter ad quem concurrunt populi ad obediendum ei tanquam Deo & liberatori ſuo; ſicut è contrario Suevos, Saxones, & Conſtantinopolitanos Principes, ut inimicos ejus & refractarios ei, reſpuunt. Igitur officium Cyri ſpectat ad regem Hiſpaniarum, qui, poſtquam jam à Papa rex Catholicus appellatus eſt, facile ad principatum mundi poterit eniti: eumque veſtigiis illius inſtitiſſe jam, eo quod Eccleſiam à Mauris Granatinis olim, & nunc ab hæreticis, Belgis, Anglis, & Gallis, liberavit, videmus: ſuſtentatque reditibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

annuis tot Epiſcopos, Cardinales, Monaſteria; & juge ſacrificium in univerſo mundo collocavit: quandoquidem omnibus ſemihoris, & continuo, celebratur Miſſa in illius Imperio, ubi Papatus Romanus, Hieroſolyma, & templum extructum eſt. Neque unquam in ejus Imperio noctefcit. Cum enim Sol ab Hiſpania per Braſiliam, Fretum Magalanicum, Philippinas, Iapponem, Chinam, Archipelagus Lazari, Calecuttam, Goam, Bengalam, Ormuſim, Caput bonæ ſpei, oram maritimam Africæ, Inſulaſque Fortunatas, uſque ad eandem Hiſpaniam circumactus, nulla non hora aliquam partem illius regni illuminet, dubium non eſt, quin etiam ſemper ibi ſacrificia fiant DEO cœli & terræ. Res ſtupenda ſane, & ſignum evidentiſſimum, regnum in immenſum diffuſum eſſe, in quo continuo preces pro Eccleſia & Rege funduntur, cum ſacrificio ſtupendo: quod, ſecundum veritatem, & opinionem hominum, in cordibus ſubditorum non parum eſt efficax. Vnde dico, regem Hiſpaniarum, ſequendo rerum Ordinem, & obſervando Prudentiam cum Occaſione, omnia ſibi poſſe ſubjicere; ſicut ex rationibus ſubjectis patebit. Hoc enim jam liquet, illum pugnare ſub auſpicio Imperii Germanici, quod eſt,

Ita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Italiæ, quod Romæ, quod Græciæ, quod Perſiæ ſeu Imperii Cyri, quod conſequenter Mediæ & Babyloniæ: habebitque auxilium plurium angelorum, Cyri, & Michaëlis; & poſtea omnia tradentur in manus Gog & Magog; Chriſtiani autem vincent; & tunc veniet Chriſtus ad judicandum. Atque hic finis erit. Verum eclipſis & conjunctio magna in Sagittario, ſigno ſcilicet Hiſpaniæ, plura ſecreta, quando ipſa ediſſerere mihi dabitur, revelabunt.

Capvt V.

De ſecunda cauſſa, Prudentia ſcilicet.

Cvm omnes res humanæ prudentiam requirant, (quæ eſt cauſſa fato connexa, conſtans infinitis concauſſis virtute primæ agentibus,) tum imprimis vero imperium; utpote quæ totum mundum regit, & à Deo per omnia humana diſſeminata eſt. Nam Natura eſt Ars divina intrinſeca; ſicut Ars noſtra eſt Natura extrinſeca rerum: quique Naturam ducem ſequitur, ille prudens eſt, quod vel in plantis, formicis, apibus, gruibus, ipſiſque piſcibus elucet. Quæ ſane animalcula hominem ſæpe ipſum erudiunt, circa adminiſtrationem regni ſui. Vnde ſciendum, Prudentiam diverſum quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

eſſe ab Aſtutia; quam quidam Rationem ſtatuum regendorum vocant. Nam Prudentia cum cauſſa prima, DEO ſcilicet, convenit: unde prophetias & ſcientias divinas perveſtigat, ut ad cognitionem rerum futurarum penetrare queat: At Aſtutia ſolam oblectationem venatur, & proprii ingenii verſutiam captat, quam ipſa falſo ſapientiam nuncupat: velut Pharao dixit: Sapienter opprimamus eos. Prudentia magnanima eſt, & ſolum res vere arduas ſibi proponit. Aſtutia puſillanimis eſt, ſed ut tamen magnanima habeatur, ſuperbiæ ſpeciem ſibi circumponit, ut videatur nimirum eniti velle ad eximia, ſed ſine ſcala virtutis; ſectaturque minutias, & res quæ nauci vix ſunt. Prudentia clemens eſt, & verax: Aſtutia crudelis, & adulatrix. Vnde aſtutus dicere ſolet, Magnates, ſapientes & fortes è medio tollendos, ne forte ſceptrum illi extorqueant. Quicquid excelſum eſt cadat, inquit Nero, & Periander. Verum Prudentia illorum opera utitur ad regnum ſuum ſtabiliendum; ſicut Pharao bonus, ab altero illo aſtuto diverſus, uſus eſt miniſterio Ioſephi. Et Papa idem ſolet facere, evehens ſapientes, & doctos viros, ad Cardinalitiam dignitatem. Aſtutus fraudes & viles dolos machinatur in populum ſuum, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

bus illum debilitet & ſupprimat. Prudentia technas civiles & utiles comminiſcitur, quibus eundem acuat, & ad officium ſuum promptius faciendum inducat: ſicut Numa excogitavit, ut venerandum ſe populo Romano redderet, & religionis prætextu Romam contineret. Prudentia Cæſares & Imperatores decet; Aſtutia Davos & ſervos. Prudentia dum perdit, acquirit, (id quod Petrus, & Papa adhuc hodie facit) & quanto penitius cognoſcitur, tanto ardentius à ſuis amatur Aſtutia dum acquirit, perdit; & quanto magis nota eſt, tanto magis odio habetur. Sicut videre eſt in ſceleſti illius Machiavelli diſcipulo Cæſare Borgia, qui per aſtutias ſuas principatum Flaminiæ, (hodie Romaniæ) perdidit; imo & in Tiberio, atque Nerone, qui aſtutiis ſuis majeſtatem imperii Romani, prudenter ab Auguſto Cæſare illuſtratam, offuſcarunt. Prudens publicum, at Aſtutus privatum ſolum ſibi ante oculos commodum ponit. Prudens, ut acquirat, fortem ſe præſtat, nonnihil accedens ad audaciam; id quod Columbus, Cæſar, Alexander, & Cyrus fecere; liberalem juxta, ita ut fere ad prodigalitatem prolabatur; & denique juſtum cum moderata ſimul ſeveritate. Itaque dum acquirit, omnia largitur ſuis, ut illos beneficiis ſibi de-

vinciat, ſibique reddat fidos deditoſque. Nec tamen tantum in illos erogat, ut ipſo etiam deinceps frui non habeant neceſſe. Sed enim ubi acquiſierit, frugalior fit, quo ſibi ſervet, unde ſtatum ſuum poſſit ſuſtinere; ne compellatur, exactione tributorum malam ab illis gratiam inire, eoſque exaſperare: id quod Caligulæ olim uſu venit, qui poſtquam ſua profuderat, aliena mox ereptum ivit. Equidem qui propitio ſuo fato rem arduam molitur, neceſſario ſit audax: & omne facinus magnum & memorabile requirit inuſitatam quandam animi fortitudinem; quantumvis temeritas, eventu non favente, dicenda ſit. Sicut audacia fuit in Columbo, quod iret quæſitum Novum Mundum; in Vlyſſe vero temeritas; quia ille evaſit, hic vero navem fregit. Verum poſt acquiſitionem factam, à fortunæ volubilitate ſibi cavendum eſt, atque ab audacia; Quod neglectum res à Carolo V. in Germania geſtas diſſlavit: propterea quod ille, in tuendis partis non eadem prudentia fuerat uſus, qua in acquirendis. Idem etiam contigit magno illi Iulio Cæſari. Tum in bello ſerveritate opus eſt, ut milites in officio contineantur, & ut victores præmiis decorentur: quod ni fiat, detrectant imperium, & in ſeditiones prorumpunt; (ſicut exercitus Tibe-

Tiberii in Germania agens,) atque inſolenter prædandi licentiam exercent, & victoriam partem ad nihilum redigunt; ut accidit Conradino Suevo, cum Carolo Andegavenſi. Poſt occupatum itaque regnum modeſte gaudendum, & populo ſatisfaciendum: nam ſi ſecus fit, diffugiunt; vocatoſque inimicos tuos in te inſtigant: ſicut evenit Roboamo, Carolo Andegavenſi in Sicilia, Carthaginenſibus poſt primum bellum Punicum, & Acciolino, cui Patavium ſuum portas objecit, atque Neroni qui hoſtis patriæ ſuæ, cujus princeps erat, fuit appellatus. Et quamvis multæ aſtutiæ in uſu ſint, quibus populus coërceatur, auſim tamen aſſeverare, illas in fine exitioſas fieri. Vnde videmus Tiberium aſtutiarum fabrum, exoſum fuiſſe, & acerbam duxiſſe vitam, quod videret ſe haud quaquam amari: ita ut opus habuerit, quotidie aliquos majeſtatis ſuæ contemptores neci dedere, & ſemper ſuſpenſo eſſe animo: quod ſane morti quam vitæ propius eſt. Idcirco ſumma & optima aſtutia principum eſt, beneficentia, religione & liberalitate in ſubjectos ſuos uti: eo tamen moderamine ne deſpicatui ipſis fiant, ſicuti Cæleſtinus V. Papa.

Progrediamur nunc ad *particularia, Hiſpaniam concernentia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Vt ante rationibus divinis oſtendi an inter Chriſtianos Monarchia ulla univerſalis haberi poſſit alia quam Papæ, & quomodo cum illo agendum ſit; Nunc politicis rationibus probabo, quod in orbe Chriſtiano nullus poſſit eſſe Monarcha, niſi dependeat à Papa. Nam certe, ubicunque eſt Princeps, qui ſuperiorem ſupra ſe habet, ſola religione, nedum etiam armis, ſicut Papa, regentem; ille nunquam ad univerſalem Monarchiam pervenire poteſt. Quicquid enim conabitur, irritum fiet, & illi à Superiore in manibus quaſi confringetur. Nam omnis Religio tam falſa quam vera vincit, ubi ſemel inſedit hominum animos: à quibus ſolis arma & linguæ, unica regnorum inſtrumenta, dependent. Ecce, Iulius Cæſar, cum forte conſules crearentur, ubi vidit Pontificem venientem & dicentem, Vitio creati ſunt, ſtatim illos abdicavit; & prælium initurus, cum augur forte dixiſſet, Pullos nolle eſſe, deſtitit, atque ex illorum ingenio fecit. Propterea cum idem in animum ſuum induxiſſet occupare Monarchiam, contra Catonem nixus quantum potuit, omnem lapidem movit, ut crearetur Pontifex Max. Quod poſtquam obtinuit, verſo animo, omnia officia quæ armis adminiſtrantur in ſe traxit, quo ſecurius age-

ret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ret, & milites donativis ſibi obſtrinxit adeo, ut in illius favorem arma contra patriam ſumpſerint, rebuſque novis operam dederint. Similiter Cyrus Commiſſarius Dei ſalutari voluit, ne quis prophetam ſuperiorem ſe ingereret. Et Alexander Magnus filium Iovis Ammonis ſe haberi voluit, ob eandem rationem. Tum etiam conſtat, in orbe Chriſtiano nullam Monarchiam ad ſummum evectam eſſe, propter obedientiam quæ Papæ debetur. Hinc cum Mahumet ad Monarchiam adſpiraret, novam religionem induxit ab illa altera plane diverſam. Nam arma contra religionem nihil efficere poſſunt, ſi alia fortiori religione, quamvis & pejori, modo populo accepta ſit, reprimantur. Cum igitur Chriſtiana Romana religione nulla major reperiatur, evidens eſt, neque Hiſpaniam, neque Galliam ad majorem ipſa dignitatem pervenire poſſe. Hinc Carolus Magnus cum Monarcha totius mundi evadere vellet, aſſumpſit titulum protectoris Papæ; & dum propugnavit Chriſtianiſmum, Magnus evaſit. Si igitur Rex Hiſpaniarum pariter ad tantam altitudinem aſpirat, novam religionem confingat neceſſe eſt: id autem nec Deus nec ratio illi permittit facere. Primo enim hoc nunquam niſi in primordio regni faciendum eſt; ſicut Mahumet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

humet, Romulus, & Pythagoras fecerunt: nam aliter faciendo, peſſum ibit, mutans auſpicia regni, quod fide in Chriſtum fundatum eſt; & populus confeſtim ad arma conclamabit, deficiens ab illo: neque unquam ullum imperium pejus aut certius periit, quam cum mutavit religionem; ſicut hiſtoriæ teſtantur. Deinde Papa, & reliqui Principes Chriſtiani conjunctis viribus illum breviſſimo temporis ſpatio exuerent regno Neapolis, Mediolani, & conſequenter Novi Mundi, & cæterorum quæ poſſidet. Quamvis autem hoc idem factum non eſt Henrico VIII. Regi Angliæ, neque Duci Saxoniæ, quod anguſtis & munitis terminis regiones illorum concluduntur; nihilominus tamen ſucceſſionem & ſtatum ſuum perdiderunt. Exemplo ſaltem ſint Ieroboam, Iehu, Iulianus apoſtata, & alii qui ob mutatam religionem graviſſimas ſibi inimicitias conciliarunt, exitiumque pepererunt. Niſi forte dicendum ſit, Papam in temporalia nullam omnino poteſtatem habere, nec authoritate vel gradu reliquos Epiſcopos, eorumve Vicarios aut Capellanos, ſuperare: quod ordinationi Dei manifeſto contrarium eſt, utpote qui Sacerdotem Regalem eum conſtituit, & utroque gladio tam politico, quam ſpirituali coarmavit. Secus enim

nim ſi foret, Chriſtus legiſlator eſſet diminutus, & non ſicut Melchiſedech, qui fuit Rex & Sacerdos ſimul; quæ res addit imperio majorem majeſtatem ſecuritatemque: ſicut in mea Monarchia, probavi contra Dantem, qui Sacerdotium Aaronis ſolum intuitus, Papæ ſpiritualitatem, & decimas tantum tribuit. Et, quod majus eſt, hoc etiam inpugnat rationem politicam: quia ſemper prodibit, qui arma pro Papa capiet, ſi illi ipſi arma deerunt, exſtimulatus vel zelo religionis, ſicut Matilda Comitiſſa fecit contra Henricum Imperatorem; vel æmulatione aliave factione, ſicut Veneti contra Fridericum Imperatorem, quem compulerunt pedes Papæ oſculari: vel utroque, ſicut Pipinus & Carolus Magnus, qui ſuppetias contra Longobardos, & alios Papæ ferentes magni extiterunt. Sic videmus Imperium Conſtantinopolitanum periiſſe per apoſtaſiam Conſtantii & Iuliani: quin & Fridericos, Henricos, & omnes Reges Neapolitanos eadem de cauſſa, quoties videlicet detrectarunt imperium Papæ. Sane opinio quam omnes populi de religione Chriſtiana conceperunt, & credunt, permultum valet, qui omnibus viribus illam protegere ſtudent, & quotieſcunq; Papa principem aliquem excommunicavit, eundem ſimul

& per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

& pervertit. Vide quæſo quorſum Ferraria hodie reducta ſit? Sed de hoc in Monarchia noſtra prolixe diſſeruimus. Tum denique id contra politiam quoque eſt; nam Papa reliquos principes ab invadenda Hiſpania, & viciſſim Hiſpanos, ne aliis bellum inferant, retinet, & diſſidia illorum componit: ſicut Indiam inter Luſitanos & Caſtilianos diviſit, & ſæpe pacem conciliavit inter Hiſpanos & Gallos, Venetos & Genuenſes, item inter Piſanos & Florentinos: quod ſola religionis reverentia non tam facile impetraret. Huc enim accedit vis armorum; cum ille qui malam fovet cauſſam ſuſpicari poſſit, Papam contra ſe vires ſuas cum viribus æmuli conjuncturum; tantoque facilius præceptis Papæ obtemperat; ſicut ibidem dixi. Et Rex Hiſpaniarum certus eſt, quod ſi propugnatorem Papæ ſe profitebitur, etiam militares illius copias ſibi promptas ſit habiturus, quibus firmare regnum ſuum poſſit. Quare expedire arbitror, ſecundum fatum Chriſtianum, ut, ſi Hiſpania ad Monarchiam tendere vult, Rex illius palam confiteatur ſe à Papa dependere, & prædicari paſſim jubeat, ſe eſſe Cyrum præfiguratum, & Regem Catholicum mundi; illuſtrans Monarchiam ſuam Conſiliis religioſis & piis actionibus, omittens

tens etiam multas lites quas habet cum Papa, habitanſque in Tabernaculis Sem; notum faciens omnibus, ſe primum eſſe defenſorum Chriſtianæ religionis, prorſus à Pontifice Romano dependentem; convocans etiam omnes Chriſtianos principes ad recuperandum regiones amiſſas, atque etiamnum ab Hæreticis & Turcis occupatas; & tergiverſantes excommunicari curet; tandemque pios ſeduloſque prædicatores paſſim emitti curet ad negotium hoc promovendum. Revera enim non alia de cauſſa Papa interdum Regi Hiſpaniarum adverſatur, quam quod vereatur, ne victis Regis Galliæ & Italiæ Principibus, illum Capellanum ſuum faciat: atque ob hoc optat, ut perpetuo inter ſe diſcordent; quo per apoſtaſiam aut alias inimicitias deficiente uno alter auxilium ferat. Ob hanc cauſſam inſtigavit Imperium Occidentale contra Orientale, quia nimirum priori religioni nuntium remiſerat, & cum Papa ſæpe in arenam deſcendebat. Verum ſi Rex Philippus officium ſuum, ut modo dixi, facere, Papæque in nonnullis quæ prætendit cedere voluerit; præterea Epiſcopos atque Cardinales in Provincias Belgicas atque Mundum Novum gubernatum mittere; & Papam ſuſpicione hac liberabit, & voto ſuo potietur. Quando-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quidem apparet, Papam per indulgentias ſuas, cum cruciatis, plus lucri illi adferre, quam honoraria quæ in Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſc. aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, erogat, ipſi annuatim conſtent: & lucrabitur ibi, unde damnum timet. Hoc facile confiteri poteſt, ſi modo paſſim prædicari, & proclamari jubeat, finem mundi appropinquare, eſſeq; jam in eo, ut unum ovile ſub uno paſtore Papa fiat; ſeque ipſum alterum quaſi Cyrum eſſe, qui hæc conficere, & ovile illud congregare debeat; & quamcunque gentem & regnum, quod non ſervierit, eſſe periturum: pluraque alia quæ dicere, quam chartæ committere malim. Cauſſæ admirabiles in medium producendæ ſunt, quibus Rex Hiſpaniarum qua religionem, qua prudentiam, & potentiam, qua denique prophetiam admirabilis reddatur: quippe quo hæ res omnes inclinant, ibi imperium conſequi neceſſe eſt: & quoniam hæc dignitatis ſublimitas ſub auſpiciis Imperii Italici, quod hodie Germanicum eſt, acquirenda eſt; res ipſa poſtulat, ut Rex Hiſpaniarum eo omnes vires ſuas intendat, quo iſtud Imperium in poteſtatem ſuam redigat. Hoc ut fiat, agendum ipſi eſt cum Papa, ut maledictione devoveat tres Electores hæreticos proteſtantes: comminando, nî ad Eccleſiam

Ro-

Romanam redeant, ſe illos Electorali dignitate, quam ab ipſo Papa acceperunt, rurſus exuturum; & cum jam aſſeverent, Papam eſſe Antichriſtum, convincentur ſuis verbis ſe ipſos Antichriſtianos eſſe; atque ideo ipſis ultro dignitatem illam eſſe deponendam, ſi Catholicam fidem recipere nolint. Quo fine Galli, Itali, & Hiſpani, conciliante Papa, conjunctim contra illos conſpirare debent, (quod ſane plurimum adjumenti ad hanc rem adferet) illorumque ſubjugatorum ſectas funditus eradicare, novaſque colonias in illorum locum mittere. Hæc expeditio adeo facilis eſt, ut Carolus V. ſolus eam potuerit in effectum deducere. Quoniam vero liberæ Civitates Germaniæ ejuſmodi ſummum imperium ſive Monarchiam neutiquam cupiunt, ne in priorem ſervitutem recidant; & quia tardæ ſunt tam in deliberando quam in exequendo; idcirco maximi intereſt, ut gentes Chriſtianæ unitæ celeriter contra illas procedant: quo facto, promptiſſimi & potentiſſimi in Electores Imperii Apoſtolica autoritate, eligendi ſunt; ſive illi ſint Germani, Itali, ſive Hiſpani, aut ſorte ducendi prout potentiſſimi Chriſtianorum in unũ convenerint. Et quamquam imperium in Hiſpaniam facile per hos conatus transferri poſſet; ſufficeret ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

men, ſi rex aliquis Hiſpaniæ curaret ſe i
Imperatorem deligi, qui magnis copii
militaribus in Germaniam tenderet, il
lamque ſubjugaret ſubito, dum religion
& ſtatu multum ipſa à ſe diſcrepat. Eun
dum autem foret cito, & ſub prætext
eundi in Vngariam. Hæc dico, ut palan
fiat, quantum Hiſpaniæ interſit ſub au
ſpiciis Papæ Imperium ſibi vendicare: &
vero declaratio tituli Regis Catholici ſi
ve univerſalis demonſtrat, Spiritum ſan
ctum per Eccleſiaſticos loquentem iden
voluiſſe.

CAPVT VI.

Qui modus cum Eccleſiaſticis ineundus.

HOc vero non ſufficit, ut Eccleſiaſticos ſemper à noſtris partibus habeamus; verum elaborandum erit tandem, ut habeamus Papam Hiſpanum, ut potius è domo Auſtriaca: cum conſtet, quod quotieſcunque oraculum pro illa dat, illam ſimul elevat, & contra deprimit, quotieſcunque contra illam pronuntiat. Quod perſpicientes reges Galliæ, operam dederunt quantum potuerunt, ut Papa in Galliam habitatum iret. Et poſtquam Pythia Delphica Philippizavit, totius Græciæ monarcham ſe Philippus Macedo technis & religione effecit. In

deci-

decisionibus quoque rerum fidem concernentium, convenit Regi primum eſſe in illis conſervandis, & quidem majori ſolicitudine & æmulatione quam ipſum Papam. Vnde Philippus Galliarum rex ſemper quaſi imperavit Papæ Iohanni XXII. poſtquam ferventior illo fuit in protegenda, & propaganda illa ſententia, Quod nimirum beati in cœlo videant eſſentiam DEI, etiam ante judicium univerſale. Semper etiam aliquid novi ad Chriſtianiſmum ſpectans proponendum eſt, ut ſunt canonizationes Sanctorum, mutationes nominum genialium dierum & menſium, ſimiliaque alia, transferendo illa ad cultum Chriſtianum, quibus rebus quantum poterit Prælatos occupatos detinebit, firmandæ ſuæ inter eos auctoritati. Quin & devincire ſibi debet Prælatos artibus accommodatiſſimis, ut mittendo in Belgium & ſimiles ſuſpectos locos Cardinales & Epiſcopos Gubernatores: populus enim mores talium libentius amplexabitur, quam ſeveritatem Hiſpanicam, & Prælati tales illi magis adhærebunt. Interea nihilominus & duces militares alere debet qui illis ſubordinati ſint. Item conſenſu Papæ Cardinales natione vel factione Hiſpanos in Mundum Novum & locos multum diſſitos ablegare debet, ut ibi imperium adminiſtrent;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quia hoc ipſi valde conducibile eſt. Homines ſapientes ac religionis bene gnaros, pluribus quam ipſe Papa muneribus afficere debet, ut eorum miniſterio, quoties uſus venit, uti poſſit. In omnia ſua ſuprema conſilia duos aut tres religioſos, Ieſuitas, Dominicanos, aut Franciſcanos cooptare debet, ut Eccleſiaſticos ſibi devinciat, & conſiliarii ſui circumſpectiores ſint, inque ſuis determinationibus plus autoritatis habeant. In omnibus bellis ſinguli capitanei ſingulos conſiliarios è clero habeant; ſic enim milites præcepta illorum magis reverebuntur: neque quicquam illis inſciis geratur. Maxime vero ſtipendia pauperum militum per manus religioſorum tranſeant: nam hæc calamitas Hiſpaniæ eſt, quod ſolvit, nec ſcit cui, aut quomodo. Atque ita ſub auſpiciis Religionis & Papam & ſibi imperium firmabit, ac concors fato divino felicius regnabit. Nec unquam Papæ nominet viros Eccleſiaſticis dignitatibus indignos, quo plus fidei apud illum conſequatur; & illi quorum ſapientia ab ipſo rege approbata eſt, magis laudentur. Semper proponat, quomodo invadendi ſint infideles, & hortetur Papam, ut deponendos illos proclamet, qui expeditiones religioſas impediunt. Hoſpitalia, Ptochotrophia, & ſimilia loca pia extruat,

quæ

quæ ut ipſis militibus utilia, ita etiam quaſi ſeminario militum & artificum machinarum militarium eſſe poſſint: in quibus locis ægri milites & operarii ſtudioſe videlicet curentur, etiam propoſitis indulgentiis; ut poſt dicetur. Efficiat, ut omnes ſuæ expeditiones à Papa approbentur, ut & ab omnibus Chriſtianis laudentur, & aſtutia Hiſpanica minus ſuſpecta ſit; ipſeque Papa tanto magis obligetur ad perducendas illas ad effectum. Declaret itidem, rationem ſtatus non in ſolis armis conſiſtere; (contra quam Romanus Scipio, qui interrogatus à duce quodam Hiſpano, quid ipſe juris in Hiſpaniam eſſet, armatum in idipſum exercitum ſuum tantum oſtendit;) ſed in auſpiciis fatalibus Chriſtianiſmi. Quemadmodum Iephte dixit, interrogatus hoc ipſum, Nonne quæ poſſedit deus tuus Chamos, tua ſunt? ita nobis jure debentur, quæ DEUS noſter victor obtinuit. Quod igitur Hiſpanus ſub auſpiciis victricibus Chriſti acquirit, illius eſt. Et hoc dico propter ſubjugationem Novi Orbis ad aliquibus culpatam. Nam cum Indi legem naturæ violarint, rex Hiſpaniarum auſpiciis religionis Chriſtianæ ſe illis opponens, (cujus lex naturalis pediſſequa eſt,) jure illam poſſedit; ſicut Moïſes occupavit terram ſan-

ctam, cum fuiſſet completa Amorræorum malitia. Sic & Turca debellando Conſtantinopolim ſub auſpiciis Mahumeti, propter peccata noſtra, jure illam poſſidet, quemadmodum Chamos. Verum non ideo nobis modi recuperandi illud noſtrum Imperium denegati ſunt, poſtquam peccati hujus per quod illud amiſimus, quod fuit diſcordia orbis Chriſtiani, nos pœnituerit. Et tunc Angelus illius regni, qui non propter falſum illum Macon, quem illud invocat, ſed propter juſtum DEI judicium, nunc illius curam gerit, & defendit, ad nos tranſibit. Atque hæc argumenta ſunt magni momenti ad defendendas, &, ut melius dicam, juſtificandas illas expeditiones, quæ noſtri ſcriptores, & inprimis Lactantius lib. De juſtitia DEI, & Cajetanus 2ª. 2æ. atque alii recentiores non intellexerunt. Verum expedire mihi videtur ad inducendum Papam ut omnimodo à partibus regis ſtet, atque ut ſatum Chriſtianum Monarchiam illius extollat; Si rex Philippus Papæ promiſerit, ſe, quo etiam ceteri Principes Chriſtiani cedant, obſervaturum conſtitutionem Conſtantini Imperatoris, quæ aſſerit, Quod in omnibus cauſis à quibuſvis poteſtatibus & tribunalibus ſecularibus appellationes procedere poſſint ad tribunalia Epi-

ſcopo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſcoporum; qui ab illo Angeli DEI & dei terreſtres appellantur. Nam ubi Papa hanc promptitudinem animi perſpexerit, fieri non poteſt, quin perpetuo regi faveat. Nec regis dignitas quicquam in hac parte minuitur; nam alii nunquam conſentient; & ita Papa illam ſolus cum rege ſervabit: at vero ſi illi reliqui conſentirent, illico cauſſæ dominio Papæ per neceſſitatem ſubjecta eſſent: unde Rex, unito regno cum Papa, ſupra illos etiam dominaretur. Et ne hoc ipſi nocere poſſit, Supremum aliquod Conſilium & tribunal inſtituat, in quod duobus Epiſcopis cum regio Confeſſore introitus pateat, & ipſi etiam Regi, tanquam clerico; (quandoquidem primogenitus Regis ſemper Clericatu initiandus:) & ad illud Conſilium, ab omnibus aliis tribunalibus, etiam ab ipſis Epiſcopis ſi ſibi, Regive ſubditos durius tractaverint, appellatio detur. Nam hoc modo rex non omnium tribunalium modo, ſed ipſorum etiam Epiſcoporum arbiter efficietur, tanquam ſacroſanctus & Clericus ipſe: atque ſuſpitionem illam D. Rotæ ſubterfugiet, qui vult, vaſallos Regis inhumanius à Prælatis habitos, ad ſummum conſilium Hiſpaniæ appellare poſſe. Quod ſane indignum, hæreticum, & ipſi quoque regi

noxium; utpote odioſum illum reddens, & authoritatem illius diminuens potius, quam augens: quod quotidiana experientia atteſtatur. Aut certe, poſtulandum à Papa, dicendumque, regem ſane permittere, ut in omnibus cauſis appellatio ad Papam detur, modo palam conceſſum ſit, appellare ad conſilium trium Epiſcoporum; aut profecto, ut appellatio in cauſis Laicorum procedat ad Papam, gradatim tranſeundo prius per Conſilium duorum Epiſcoporum & Regis; deinde per Concilium generale; atque poſtremo ad Papam: nam à Conciliis non niſi longiſſimo quoque tempore appellatur, & nomen Concilii Papæ odioſum eſt: ita ut cauſæ ſemper apud regem permanebunt; qui hoc modo lucrabitur, cum videatur perdere.

CAPVT VII.

Quæ præterea de prudentia & opportunitate adduci poſſunt.

QVod prudentia primo in omnibus cum fato divino convenire debeat, jam dictum eſt: nunc de omnibus reliquis prudentiæ partibus dicere reſtat: quo quidem omnes virtutes, maxime vero opportunitas referenda eſt; cum proprium ſit Prudentiæ, ſcire uti occaſione. Sub quibus enim auſpiciis, & quali cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Papa confederatione Monarchia Hiſpanica procedere debeat, jam vidimus; quantum quidem per calamum licet: nam ſecretiſſima quæque ſtatuum chartæ non committenda ſunt. Manifeſtum itaque eſt, Occaſionem quam Hiſpania habet, conſiſtere in eo, quod inimici illius vicini, debiles, & inter ſe religione ac ſtatu diſcordes ſint; potentes autem remotiores; unde & hi vicinis devictis facile vincendi videntur. Inſignis accedit Occaſio à miraculoſa Hiſpanorum navigatione; tum & ab admirando circuitu mundi univerſi. Et videtur mihi factu facillimum, ſi res paulatim ita ut dicemus conjunctæ fuerint, pro regula generali prudentiæ politicæ. Tandem veniemus ad actiones particulares, examinatas ad rationes propinquas & extraneas. Sed prius politica Hiſpaniæ ratio corroboranda eſt, & poſtmodo extranea convincenda. Sic igitur ad rem procedo.

CAPVT VIII.

Cauſſæ per quas Monarchia Hiſpanica augeri & minui poteſt.

OCcaſiones quibus Monarchia Hiſpanica ſuſtentari atque etiam augeri poteſt, hæc ſunt; primo virtus regis; ſecundo bonitas legum ſcite latarum; tertio, Sapientia Conſilii; quarto juſtitia Offi-

Officialium; quinto, Obedientia Baronum; ſexto, abundantia & diſciplina militum & Capitaneorum; ſeptimo, certitudo ærarii; octavo, amor populi mutuus & erga regem; nono, Concionatores boni pro dominio verba facientes; decimo, concordia regnorum propriorum, & diſcordia extraneorum. Vice verſa eandem deſtruere poſſunt: primo vitium regis; ſecundo, perverſæ leges; tertio, ignorantia Conſilii; quarto, injuſtitia Officialium; quinto, inobedientia Baronum; ſexto, penuria militum & Capitaneorum, cum prava diſciplina; ſeptimo, egeſtas pecuniæ; octavo, odium mutuum populi & erga regem; nono, Prophetæ falſi vel etiam veri inſurgentes contra dominium; decimo, diſſidium regnorum propriorum, & concordia extraneorum. Quæ omnia prudenter perpendenda ſunt, poſtquam jam inimici diſſidentes, & circumnavigatio mundi, facilem hunc conatum ſuſtentandi & augendi imperii tanti reddiderunt.

CAPUT IX.

De Rege.

NOn poteſt mundum regere, qui imperium non poteſt; nec imperium, qui regnum, nec regnũ, qui provinciam, nec provinciam, qui urbem, nec urbem,

qui

qui pagum, nec pagum, qui familiam, nec familiam, qui unicam domum, nec unicam domum, qui ſemetipſum regere nequit; nec ſemetipſum regere poteſt, qui affectiones ſuas in rationis gyrum agere nequit; quod & ipſum nemo facere poteſt, niſi ſe Dei voluntati ſubmittat: nam qui Deo, qui eſt ſumma ſapientia, rebellat, huic ipſi etiam omnes res illi ſubordinatæ rebellabunt, jure & pœna talionis, quæ in omnibus dominiis & actionibus humanis juſtiſſima eſt. Ita perpenſis omnibus omnium humanorum principatuum ideis, dicimus, elaborandum eſſe Hiſpaniarum regi, ut ſit ſapientiſſimus. Nam omnis Virtus affectus animi eſt in modo conſiſtens, quem ultra aſcendens, citrave prolabens, vitium fit: modum autem conſtituit ratio. Ideoque dicendum, quod actiones ſolæ non efficiunt hominem virtute præditum; ſed requiritur etiam inclinatio naturalis, quæ à genitorum complexione, aëre itidem, & conſtellationibus derivatur. Cum igitur regnum Hiſpaniarum electitium non ſit, ſed ſucceſſivum, dico, ducendam in uxorem eſſe unicam mulierem (nam plures ſimul ducere ratio ipſa vetat) quæ corpore procero, facunda, & fœcunda ſit, quæque tam animi quam corporis dotibus præcellat: nec ad ſolum generis ſplendorem
tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tantum adſpiciendum eſt. Alias fieri poteſt ut aut ſterilis ſit, aut cæteroquin minus placens; obruariſque omnibus illis malis quibus Henricus octavus, vel Dux Mantuæ fuit obrutus. Vnde Dux Hetruriæ Franciſcus laude dignus foret, ſi tantummodo ob defectum ſucceſſorum Blancam duxiſſet. Item coëundum eſt Regi cum conjuge ſua fauſto ſidere, & poſt digeſtionem factam, item poſtquam aliquandiu abſtinuit à coitu, quo fœcundius ſemen efficiat, debetque tum cum rem cum uxore habet flagrare ejus amore: nam totius mundi intereſt, quale ſit ſemen regis. Atque utinam omnes hoc idem obſervarent! Sed ita jam comparatum eſt, ut homines magis laborent generoſos equos habere, quam generoſos liberos. Deinde regina prægnans moderatum aliquod exercitium corporis aſſumere debet, quo proles ſua fiat robuſtior. Filio recens nato generoſa mulier admovenda eſt, quæ mammas illi det: imo etiam ſapiens, & virago aliqua: nam mores una cum nutricis lacte imbibuntur. Grandior cum viris potius quam fœminis converſetur; oblectetque ſe contemplatione figurarum mathematicarum, item regnorum ſuorum delineatione: intueatur etiam equos & arma; nec puellaribus luſibus aſſuefiat, ſicut filii

Cyri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Cyri, Cambyſis & Darii, quaſi ſibi ſolis & non populis ſuis nati eſſent: qui propterea, ſicut Plato affirmat, peſſum ierunt. Habeat magiſtros pios, Epiſcopos, & Capitaneos rei militaris uſu inſignes; facundos itidem, qui illum in dicendi ſtudio exerceant, loquentes de legibus potius quam gerris Grammaticalibus. Atque poſtquam adolevit, exerceat corpus & ingenium ſimul: Nam fortitudo & ſapientia virtutes ſunt regum propriæ. Et ſciendum eſt, quod rex qui corpus ſolum exercet ſine ingenio, (proprio ſcilicet, & vaſallorum) mancipium fit illius qui exercet ingenium. Hinc rex Galliæ, & miniſtri regii, pedarii facti ſunt Calvini, & Germani Lutheri, qui oculos illorum ita faſcinarunt, ut pro pulchro haberent, quicquid hi illis præmonſtrarent. Sic & Tartari poſt Orientem totum occupatum, ſacrificulis Mahumeti in ludibrium ceſſerunt. Quod ſi improbis ingenioſis mancipio non ſunt, ſunt ad minimum probis & bonis. Vnde Reges Iudæ & Iſraëlis inertes & impii, dedititii fuerunt Eliæ & Eliſæi, & aliorum, qui illos imponebant & deponebant throno propter inſcitiam religionis ſuæ. ConſulesRomani ſacerdotibus ſuis ſubjecti fuerunt. Viciſſim, qui ingenium ſolum exercet, redigitur in poteſtatem illius, qui

cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

corpus & arma exercet. Vnde Papæ ſæpe, Gothorum, & Longobardorum fuerunt ludibrium, & Theodoricus Platonicus, ſecundus rex Ravennatium, à Beliſario fuit ſubjugatus. At qui utrunque exercet, ille rex vere ſapit. Vnde Romani, nunquam ingenium ſine corpore exercebant; quemadmodum Salluſtius ait. Præterea etiam hoc addo, regem non uni ſoli ſcientiæ debere animum & tempus ſuum impendere; ſicut rex Alphonſus qui ſummus aſtrologus evaſit, exemplo Regis Atlantis, qui à Perſeò viro militari victus fuit, ut fabulæ docent: ſed nec ſoli Theologiæ Rex vacet, ſicut Henricus VIII. qui ingenium proprium obruit. Sed magiſtrum peculiarem in ſingulis ſcientiis habere debet, illique ſuo tempore aures præbere. Verum ſcientia Regi convenientiſſima eſt, ſcire diſtinctionem mundi, regnorum ſuorum, & varios nationum mores, religiones & ſectas; item reges defunctos, qui vicerint, quique victi fuerint, quibuſque de cauſis: atque ob hoc Hiſtoricorum optimos eligere debet: & ſcire leges nationum, quæque ſalutares, quæ non, cauſaſque illarum; in primis vero regni ſui leges, & regum anteceſſorum ſuorum: quomodo vicerit aut perdiderit Carolus V. quomodo Maximilianus: item quot & qualibus cum gen-

gentibus, ac regnis, item quomodo hæc acquirantur. Audiat etiam omnia conſilia, ſed eligat & pro ſuis promulgeat ſaniora. Subditos ſuos nomine & opera Officialium ſuorum pœnis afficiat; ſed præmia iiſdem propriis ſuis manu & nomine diſtribuat. Ornatus denique ſit omnibus virtutibus, deſideretque ut reges ſuperſtites imitentur ipſum, ipſe vero reges ſapientes demortuos. Affectus, quos coërcere omnibus viribus debet, ſunt dolor, voluptas, amor, odium, ſpes, timor, ira denique, & miſericordia. Quando rex demonſtrat ſe fractum caſu aliquo, mollitiem prodit, ſuos enervat, & denique prorſus ſuccumbit: id quod ſcite Davidi à Ioabo monſtratum eſt, cum ille nimium ſe affligeret morte Abſalonis. Contra cum nimium gaudio exultat ob rem aliquam proſperam, ſervilem & animo abjectum ſe oſtendit; inprimis cum ſcurris, epulis & delitiis ſupra modum delectatur, contemnitur, ſicut Nero Comœdiis & citharæ luſui unicè deditus, aut Vitellius, vel Sardanapalus, qui mulieribus & epulis ſe totos mancipantes propterea contempti ſolioque depulſi, & trucidati fuerunt.

Quin & amor mulierum non raro eum peſſum dabit, niſi animum contra obfirmaverit; id quod ſapientiſſimo Salomo-

ni ipſi accidit: maxime vero uxoris propriæ, quæ intimos mariti amicos odit, credens potiores amoris partes ſibi ſoli deberi; adeo, ut & ſapientiſſimos & ſtrenuiſſimos duces militares odio proſequatur: id quod Sophia uxor Iuſtiniani Imperatoris Narſeti fecit, qui ob id accenſus irâ, Longobardos, non ſine maximo Imperatoris, & Imperatricis damno, in Italiam evocavit. Avaritia etiam reges peſſundat; ſicut Antiochum, qui deprædatus eſt templum Iovis Dodonæi; & Caligulam, qui ſuarum rerum profuſiſſimus, alienis ardentiſſime inhiavit: unde in odium populi inciderunt, peſſimeque interierunt. talis etiam Midas, qui optavit, ut quicquid tangeret fulvum verteretur in aurum, cum tamen aurum neque edere, neque in auro ſomnum ſibi conciliare potuerit, id eſt, nullum fructum inde perceperit, ſed prædæ ſe expoſuerit illi qui ſciebat uti ferro. Caligula uno anno abligurivit 17. milliones coronatorum, quos Tiberius Imperator coacervaverat, unde ad inopiam redactus ad prædandum & omnis generis crudelitates ſe convertit. Salomon etiam fabricandis palatiis, & extruendis templis, item in pompas ſumptuoſiſſimas magnam partem de centum & viginti millionibus à patre relictis erogavit: & quamvis à ne-

mine infeſtatus, tamen tributis exigendis tam effræne ſubditos ſuos oneravit, ut intolerabilis factus majori parti populi ſui, etiam regni partem in filio ſuo Roboam amiſerit. Licet quidem Regi eſſe honoris cupido, ſed ita, ut ſcala virtutis ad illum gradiatur; nam alias, ſuperbus habebitur, quod Alboinum & Attilam pervertit. Et eſt ſane honor teſtis virtutis; quare, ſi virtute fuerit prædítus, verum honorem conſequetur, abſque adulatione, quæ multis regibus hujus mundi exitium intulit. Hinc etiam ſequitur, principem cum uno aut duobus tam arctam amicitiam neutiquam contrahere debere, ut tandem illis fines juſtitiæ impune tranſilire liceat. Alioqui primates & præcipui militiæ duces abjecto obſequio illum pro homine vili & abjecto habebunt. Quid? quod etiam ſæpe contra talem conjurant; & ille ipſe quem ad hoc dignitatis evexit, uſurpare poteſt imperium: id quod videmus accidiſſe in Gyge & rege Lydiæ. Sic & Sejanus Tiberio Cæſari, quamvis verſutiſſimo, multum nocuit; plus tamen Macro, qui illum è medio ſuſtulit. Nec quicquam tam exitioſum eſt principi, quam amicitiam cum uno ſolo contrahere. An hodierno regi non plurimum obfuit Antonius Perezius? Rex ſi quos odit, neutiquam id

revelet, niſi populus etiam ab iiſdem abhorreat: quales fere ſunt hæretici, infideles, uſurarii & homicidæ publici; ob id enim populo carior fiet. Sciat quoque accuſationes inter ſubditos non tantum juvare regnum, quantum calumniæ nocent; ac proinde ſemper ad partem accuſatam pronior ſit: & ut ſummum amoris gradum apud ſuos conſequatur, conſtituat tribunal gratiæ ſupra omnia reliqua tribunalia; ut mortis damnas habeat ſemper ad quem poſſit appellare. Crebroque condonare debet Rex, ſi expedire videbitur, cum condemnati in appellatione ad Proreges admiſſi non ſunt, aut nihil contra ſtatum & religionem deliquerunt: tum autem ad militiam pro patria, aut triremes, ablegandi ſunt; hocque multum proderit. Præſideat vero ille ſolus in eo tribunali cum uxore & liberis, atque uno prælato. Spem reponat modeſte, in DEO quidem multum, in propriis vero viribus parum, præſertim quando nulla ſingularis prudentia in illis moderandis elucet: & omnes actiones graves ad DEUM autorem referendæ ſunt, quo venerabiliores fiant. Ne ſperet cum paucis vincere multos, nec ſine diſciplina aut cum immorigeris, neque in regione peregrina hoſtem inquilinum. De quibus alias. Semper procul à ſe repellat timidi-
tatem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tatem; ſed oſtendat ſe timere ne quod gravius malum religioni aut populo accidat. In expeditionibus autem fortiſſimum ſe demonſtret; quin & audacem; ita tamen ut ratio adſit, animumque ſuorum militum ubique accendat. Nec unquam oſtendat, virtutem alicujus ſibi eſſe ſuſpectam; ne videlicet timorem ſuum animique utilitatem prodat. Vnde ne populus rebellet, ſemper tutius eſt eum armatum habere, quam inermem: armatus enim melius in officio continebitur. Quoniam prudenter ſub imperio habitus, armis in tuum emolumentum utetur; imprudenter vero etſi inermis male habitus, erumpet; vel (quod pejus erit) arma inveniet, quæ contra te convertet; ſicut David contra Saul, cui ob virtutem ſuſpectus erat. Debet etiam Rex quoties magnitudinem alicujus è ſuis veretur, ſpecie honoris ab una eum regione in aliam ablegare: ſicut Arragoniæ Rex Ferdinandus Magnum Ducem Conſalvum Neapoli, ubi res novas moliri potuiſſet, tranſtulit in Hiſpaniam, ubi non poterat. Nec tamen tales viri nimium vilipendendi ſunt: quippe ita ſe princeps exoſum redderet, & ſubditos minus ad virtutem animaret. Quapropter illuc, unde minus periculi opera illorum transferenda eſt: ſicut Beliſarius à Iuſtiniano ex Italia, ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

amatus erat ab omnibus, in Perſiam remotus eſt. Ira regis, nec vehemens, nec præceps, qualis fuit Alexandri Magni in primates ſuos, eſſe debet: ſic enim poſſet veneno tolli, ſicut ille; populique diffugient, ac ita ſtatus illius imminuetur: id quod accidit Theoderico primo regi Ravennatium, & Valentiniano etiam mortem attulit. Miſericordia tempore pacis erga illos qui ignorantia, aut debilitate corporis animive deliquerunt, exercenda eſt, idque favore multitudinis: minime vero in bello, neque erga ſceleratos, aut factionum anteſignanos; præſertim ſi virtus illorum tanta non eſt, ut dimiſſi majori uſui tibi eſſe poſſint, quam delictum eorum damno fuit. Sicut Scanderbegus Moſi rebelli & primario ſuo duci ignovit, qui ei plurimum utilitatis deinde attulit: & David Ioabo. Sed tamen iſta facilitas tum demum locum habet, cum delictum non concernit ipſam rempub. ſed privatos tantum. Vnde princeps juſtitiæ adminiſtrationem nunquam cuiquam denegare debet: nam Philippus rex Macedoniæ hac ipſa de cauſſa à Pauſania fuit interemptus. Ergo, ut diximus, circumſpectiſſimus ſit in frænandis affectibus propriis. Attamen pietas & religio per ſe ſola ſufficiens eſt ad bene feliciterque regendum, quod teſtantur exempla

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Conſtantini, Theodoſii, & aliorum ſimilium. Hocque animo perpendendum eſt, quod populi natura ſequuntur mores principum ſuorum. Vnde Plato dicere ſolitus fuit; Emendato rege totum regnum emendatur, nulla alia lege accedente: atque idcirco illius virtus humanum ſenſum etiam ſuperare debet. Quantum ad militiam attinet, conſtat, quod reges bellicoſi, deſides ſemper debellarunt: & quamvis ſapientes regna ſua ſemper tutati ſint, non tamen ſemper propagarunt: at otioſi & ignavi ſemper perdiderunt. Quare dico, regem ſi bellicoſus perhiberi velit, ipſummet in bellum proficiſci debere, maxime quando de victoria certus eſt. Sic Ioab Ammónitarum urbem illam poſt aliquot dierum oppugnationem occupaturus, evocavit regem David, ut ipſe præſto captæ urbis gloriam reportaret. Sic enim populi ſui Regem ſuum plus quam regem admirabuntur. Sed in evidentibus periculis, & duellis, rex procul inde faceſſat, ne lucerna Iſraël, ut Ioab Davidi dixit, extinguatur. Id quod vitio vertitur Alexandro Magno, quod ſolus & primus in urbem quandam hoſtilem de mœnibus ſe demiſerit, multaque vulnera acceperit. Nam illo pacto ſub ſua perſona monarchiam totam mundi in periculum dedit. Veteranos propriis ſuis

manibus muneretur; & caſtellis atque munimentis præficiat; tirones vero velitationibus & campeſtribus exercitiis bello aſſuefaciat.

Omnis rex ſceptrum gerens, eſt, aut lupus, aut mercenarius, aut denique paſtor; quemadmodum Homerus & ipſum quoque Euangelium ſacrum dicit. Lupus eſt tyrannus, qui gregem ſuum proprii emolumenti cauſſa cuſtodit; ſemperque ditiſſimum, ſapientiſſimum aut fortiſſimum quemque jugulat, ut ſeipſum efferciat, aut ſine periculo dominetur & graſſetur. Et ſi Hiſpania talis eſſe voluerit, omnia amittet, ſicut Dionyſii illi Syracuſani, Acciolinus Patavinus, Caligula, Nero, Vitellius. Mercenarius eſt, qui quidem non trucidat, verum omne utile, tributum, honorem, & ſervitutem ſuorum militum & vaſallorum ad ſe trahit: haudquaquam illos à rapacibus lupis, falſis ſcilicet doctoribus, nec ab aggreſſoribus ſævis liberat. Veneti fuerunt mercenarii Cypri, quam contra Turcas non tuiti ſunt; & Romani Saguntinorum, à quorum cervicibus Annibalem non depulerunt; & Don Philippus Maria Vice comes mercenarius fuit Genuenſium reipub. ex qua commoda quidem percepit, verum eandem non rexit, quod de Rege Hiſpaniarum hodie dici

nequit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

nequit: & iſti mercenarii ſubito etiam ſicut præcedentes illi perdunt. Velut perdidit Rex Galliarum, permittens Calvinum in Cathedram aſcendere, & Elector Saxoniæ Lutherum, lupum illum: nam qui animos prædatur, & dirimit corpora ſimul, & in fine etiam fortunas illorum quos ſuſpenſos tenet. Vnde inſcitia mera eſt in Principibus permittere ut novæ religiones in regiones ſuas introducantur, quibus animi ſubditorum ſubiguntur. Hinc Saul ſibi ipſi ruinam præſagiebat, quamprimum vidit Davidi animos ſuorum addictos. Et mala Germaniæ, Poloniæ, & Galliæ, poſtquam Lutherus animos inhabitantium ibi prædatus eſt, infinita ſunt. Paſtor eſt rex ille, qui ſe honoribus populi, populum vero exemplo ſuo, doctrina, & rerum omnium abundantia paſcit, atque armis & ſalutaribus legibus tuetur. Propterea bonus rex tanto doctior eſſe debet populo, qui infinitis modis brutis præſtat, quanto paſtor doctior eſt grege ſuo muto. Vnde princeps, quemadmodum Plato dixit, ſupra humanæ conditionis ſortem, & Deus quidam eſſe debet, aut Chriſtus quidam, aut certe divinus, arte quadam divinitus illi tributa, quales ſunt Papa, Epiſcopi, & divinus ille legiſlator Moiſes: aut ſi hoc ipſi denegatum eſt, virtute humana ad minimum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

mum, obediat divino legiſlatori, ſicut Carolus Magnus. Hoc quidam perſpicientes, finxerunt ſe divinos eſſe, ſicut Mahomet & Minos, quorum leges populi reveriti ſunt. Et certe, ubi rex ipſe talem ſe præbuerit, univerſus populus bonus evadet; contra vero malus, ſi rex ipſe fuerit malus. Quare ſecutus exemplum Papæ & Epiſcoporum ſuorum, ſimilem ſe exhibere debet, nihil abſque illis faciens: ſed regnum ſuum cum illorum Eccleſia conjungens unum corpus reip. efficiat, quemadmodum jam dixi: & ordinem Eccleſiaſticum, legeſque probe conſtituens venerabilem ſe efficiat; raro in publicum nec ſine veneratione prodiens. Actiones quibus humana natura abſtinere non poteſt, ut cibum capere, & ſimiles, ſecretus peragat. Aut ſi interdum palam fecerit, curet ſemper ad exemplum Philopœmenis, Achæorum ducis, de pace & bello ſe præſente ſermones haberi. Regi non tam enitendum eſt, ut videatur eſſe virtute præditus, quam ut revera ſit. nam ubi ſimulatio ſemel tantum detecta fuerit, nulla illi amplius fides habebitur. Et quia nulla prole ſuperſtite regnum quoque ipſum facile concidere poteſt, det operam quam primum ut liberos ſuſcipiat. Et ubi filius adoleverit, & ipſe rex etiamnum juvenis erit, Romam illum mit-

mittat, ut in mundanis & religionis negotiis pariter erudiatur, & quo penitius dominium Hiſpanicum Eccleſiæ incorporetur, habens Cardinales & Papas ipſos à ſuis partibus: & quo ipſe ſecurus reddatur, filium cum baronibus contra patrem ſuum inſurrecturum non eſſe; quod Philippus, noſter de ſuo Carolo ſuſpicatus eſt: atque ita ille parendo imperare addiſcet. Rex ſemper aliquos è domo Auſtriaca deſtinatos habeat, qui ipſi poſſint ſuccedere, ſi ſine ſucceſſore decedat. Loquatur ſemper vernacula lingua, illaque loquentibus aures præbeat. In Hiſpania capite imperii perpetuo habitet: neque inde excedat niſi belli cauſsâ, & filio domi relicto, vel ad ſupprimendam aliquam provinciam, aut baronem ſibi ſuſpectum, ad illos diverti debet, ut illi ad inopiam redacti regi ſuo miniſterium militum præbere cogantur, & ipſe rex ſuſpicionis metu liberetur. Cæteros liberos maſculos, qui in ſpem imperii non educantur, Cardinales faciat, neque imperii habenas illis committat, ne deſiderium imperandi illos capiat. Vnde apud Turcas uſus invaluit interimere illos: & rex Chinæ conſanguineos ſuos in locos amplos & ſpatioſos, omnique rerum abundantia & ludicris repletos concludit: rex Æthiopiæ conſanguineos ſuos in altiſſi-

tiſſimum & amœniſſimum montem A-
mara nomine ablegat, ubi morantu
tamdiu donec ad ſucceſſionem regni vo-
centur. Verum neque rex Chinæ aut Æ-
thiopiæ relegando, neque Turca interfi-
ciendo, neque Mauri excœcando illos
ſtatum ſuum confirmant, & à ſeditioni-
bus impavidum reddunt. Nam, ut ma-
xime ipſi parentes illorum id æquo &
bene compoſito animo ferant; fieri ta-
men poteſt, ut populus aut proceres re-
gni, moti indignatione, furore, aut pœnæ
metu, aut deſiderio vindictæ, relegatos
illos corrumpant & inſtigent, aut cuſto-
dia illorum oppreſſa, vi rapiant ex carce-
re, atque ſolio admoveant; ſicut Commu-
nes (ut vocant) Hiſpaniæ rebelles Du-
cem Calabriæ tum temporis in turre Sci-
attiva captum rapere conati ſunt; & in
China multi reges crudeliſſimi tyranni
& fœminæ quoque interemtæ ſunt. Et
in Æthiopia non ita dudum ad imperium
vocatus eſt Abdimalo, non de monte illo
Amara, ſed ex Arabia, quo confugerat.
Nulla etiam regio eſt, in qua plura bella
inteſtina atq; rebelliones factæ ſint quam
in Mauritania. Reges Ormuſii antequam
illa regio in Luſitanorum poteſtatem per-
venit, parentes ſuos trucidarunt; quem
morem & quidam reges Conſtantino-
polis ſecuti ſunt; Tuneti etiam, ut & Ma-
rocci,

rocci, Feſſæ; & inter Turcas; id quod teſtantur bella Bajazeti cum Zerino, Selini cum Bajazeto ſecundo, ſuo patre. Igitur crudelitas Turcarum minus ſecuro loco eſt. Nam in cæteris regnis animus honoris & imperii cupidus non aliunde exſtimulatur ad ſeditiones & ad arma corripienda, quam ambitione; quæ varie aut paſci, aut alio verti, aut etiam deterreri poteſt. Sed Ottomannos & Mauros præter ambitionem etiam neceſſitas vitæ ſuæ conſervandæ inſtigat: nam quia ſciunt, imminere ſibi mortem à futuris Imperatoribus, proſpiciunt ſibi omnes, armaque rapientes, ſubditorum aut etiam exterorum auxilium implorant. Vnde Selim ſolitus fuit dicere, excuſandum ſe quod tot ſuos fratres, nepotes, conſanguineoſque interemiſſet: quandoquidem nullus, vel minimus quidem, ex gente Ottomannica ad eandem dignitatem emerſiſſet, qui non parilem in ipſo tragœdiam egiſſet. Sed omiſſis illis impiæ, & inefficacis tamen, crudelitatis exemplis, ad filias Hiſpaniæ Regias pergamus. Eæ quidem Poloniæ, & Galliæ Regibus aut Principibus elocandæ videntur: nec non Daniæ, Moſcoviæ, Angliæ, & ſimilibus, modo promiſerint ſe Catholicam religionem amplexuros. Quod ſi fiat, duplex eſt bonum. In aulæ ſuæ familiares

adſci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

adſciſcat ſapientes in omni genere ſcientiarum; præſtetque ſe admirabilem in omnibus, tam ſeipſum quam ſuos; ut oculi omnium in illos convertantur, ſeque cum iis conjungant, ideo quod felices & ſecuros illos vident. Sicut omnes populi, uſque ad Macchabæos, qui Deum rectorem habuerunt, admirati ſunt Romanos, fœdera cum illis ſancientes, ſubque tutelam illorum confugientes. Qui autem protegit aut adjutat, natura dominus fit illius quem protegit aut adjutat; ſicut homo factus eſt dominus equi, dum illum contra cervum adjuvit.

CAPVT X.

De ſcientiis quibus Monarcha admirabilis efficitur.

OMnes magnates Monarchiam novam inſtituturi mutarunt ſcientias, & ſæpe etiam religionem, ut admirabiles ſuis redderentur; unde etiam concurſus populorum ad illos facti ſunt. Atque ob hanc cauſſam Aſſyrii ſub Nino mutarunt religionem Noë, & inſtituerunt illam Iovis Beli, vacaruntque aſtrologiæ, tantæque famæ admiratione ſe illuſtrarunt, ut totum Orientem ſibi ſubjecerint. Idem fecerunt Perſæ ſub Cyro, qui ſe Commiſſarium DEI profeſſus fuit; & naturalem magiam uſque ad id temporis incognitam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

gnitam, cum novis & variis mirabilibus ritibus introduxerunt. Macedones ſuum Alexandrum Magnum fecerunt filium Iovis Ammonis: abolenteſque veteres diſciplinas, Ariſtotelicam, quæ anteriores omnes refutabat, in ſcenam produxerunt, adeo ut Philippus pater illius gaudio exultaverit, novitatem doctrinæ fundamento novi Imperii futuram filio ſuo prævidens; Iove, Mercurio, Oſiri, & aliis antiquiſſimis neglectis. Sic Mahumet ad Monarchiam aſpirans novam religionis doctrinam ſecundum palatum & plauſum populi introduxit. Cæſar pontificatu ſuo, & Aſtrologia Romanis parum cognita, & mutatione ſtili, principium monarchiæ ſuæ dedit. Idem ergo faciendum quoque eſt regi Hiſpaniæ, maxime cum ſummam occaſionem habeat idem faciendi. Novam enim cum non ſemper liceat religionem inſtituere, veterem tanto magis illuſtrare ac ritibus augere debet, item novas ſcientias dignitati ſuæ convenientes in medium producere. Et ante omnia legem ſanciat inter Chriſtianos, Primo ut, ſi quando populus aliquis religionem Romanam mutet, omnes principes ſub pœna amittendi ſtatus ſui obligati ſint illum extirpare: ſicut DEUS præcepit Moiſi. Secundo, ut Eccleſiaſtici, & in rebus religionis experti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

intenti ſint ad ordinandos menſes ac dies, attribuentes ſingulis menſibus ſingula nomina Apoſtolorum, & ſeptem hebdomadis diebus ſeptem Sacramentorum nomina. Nam revera incolæ Novi mundi, quando vident in converſationibus Chriſtianis menſes & dies Gentilium in uſu eſſe, in admirationem rapiuntur: atque ſic faciendum in rebus cæteris. Tertio, cum novæ ſcientiæ novum imperium admirabilius reddant, ſcholæ Platonicorum & Stoicorum aperiendæ ſunt, quæ propius ad Chriſtianiſmum accedunt, quam Ariſtotelicæ. Et, ut ſingulatim de rebus loquamur, Philoſophia Teleſiana eſt præſtantiſſima, cum proxime ad ſanctos patres accedat, & mundo manifeſtum faciat Philoſophos nihil ſciſſe; & quod Ariſtoteles, qui animum mortalem, & mundum immortalem eſſe contendit, & providentiam negat, (ſupra quam Chriſtianiſmus fundatus eſt,) abſurdus ſit cum rationibus ſuis quantumcunque ſpecioſis; quandoquidem aliis fortioribus è natura ſimiliter depromptis refellantur. Quarto, ut ingenia literatorum quæſtionibus ſcholaſticis occupet, ne dum, tractando naturales ſcientias, ambitionem ſuam acuunt, ad majora aſpirent. Quinto, ut quæſtiones Theologicas è ſcholis Tranſalpinis eliminet: quia

quia omnes illorum Theologi hæretici evadunt, quoniam in ſanctis conſtitutionibus Papæ non perſiſtunt, ſed contentiones movent: ideoque in quæſtionibus ſcientiæ naturalis ſolum exercendi ſunt. Sexto, reddat ſe admirabilem, ſicut fecit Iuſtinianus leges Romanas in certum corpus redigendo, & Carolus Magnus aperiendo Scholam Ariſtotelicam, quæ ſola tum fuit inter Chriſtianos; aliæ enim jam dudum à Barbaris conculcatæ jacebant, verum de hoc alibi ſcripſi. Septimo, Scholas linguæ Græcæ & Hebraicæ claudat; quia hæ Imperio exitium tulerunt, atque hæreſes hodie potiſſimum illis nituntur: contra vero introducat Arabicam, qua Mahumetani convincantur; & Tranſalpini in coarguendis Turcis, non vero Catholicis, occupati fiant. Octavo, inſtituat pariter Scholas Mathematicas; quia Novi Mundi intereſt hoc fieri; itemque noſtri: quia ſic populus à nobis infeſtandis depellitur, & ad id quod regi utile eſt, inſtigatur. Poſthæc eruditos coſmographos ſibi quærat, alatque, qui totum ab Hiſpanis navigatum Mundum deſcribant; quandoquidem Ptolemæo de his terris parum conſtitit; emendetque errores antiquorum; & librum ſub titulo regis Hiſpaniarum divulget, in quo commendet Chriſtopho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

rum Columbum, Magellanum, Americum Veſputium, Ferdinandum Corteſium, Pizarrum, cum aliis ſtrenuis ſuis ducibus; quo ceteris animum addat idem conandi; poſteroſque illorum baroniis ornet. In Mundum Novum doctos Aſtrologos amandet, inprimis Tranſalpinos, quo illos ab hæreſibus & ſordibus ſuis abſtrahat: evocetque præmiis ingenia præſtantiſſima è Germania, mittatque in Mundum Novum, ut ibi ſtellas novas orbis antarctici uſque ad Tropicum Capricorni delineent, ſacramque Crucem in polo depingant, & in puncto effigies Caroli V. & aliorum Auſtriacæ domus procerum ſiſtant, ad exemplum Græcorum & Ægyptiorum, qui principum & heroum ſuorum imagines eo collocarunt. Nam ſic pariter Aſtrologia cum memoria locali diſcitur: & cum illuſtres viri cum veneratione ſublimantur, & tales aſtrologi lautis beneficiis honorantur, id non parvo augmento eſt regno: nam univerſus mundus ad talem principem vertetur cum deſiderio illi ſerviendi. Sciendum etiam eſt, novitate doctrinæ ſummum regimen multum promoveri, ſi modo religioni non adverſetur, ſicut illa Lutheri; ſed ſi cum illa congruit, ſicut doctrina Teleſii; & qualem ego ex Sanctorum Patrum lectione hau-

ſi; aut quando ad minimum illi non contradicit, ſed etiam amplificat, eamq; admirationi hominum exponit, populoſque exercet ac retinet, ne in eo quod ad detrimentum regni tendit, occupentur. Ariſtoteles, quamvis in dogmatibus impius, Alexandro nihil nocuit; ergo multo minus nocere poteſt talis doctrina, de qua loquimur. Inſuper curet & Rex hiſtorias univerſales annaleſve ſuccincte conſcribi; quales ſunt libri Regum Hebræorum; qui exhibeant à principio Romæ uſque in hodiernum diem omnem hujuſce Monarchiæ progreſſum, & quo tempore Chriſtiana fides illi inſerta ſit: faciantque notum omnibus, reges pios quotquot fuerunt omnes magni æſtimatos & felices fuiſſe, impios vero & ſceleratos infelices. Item breviter deſcribi curet omnes omnium principatuum leges ſuo ordine, nec non religiones & mores illorum; utaturque bonis, malas rejiciat: ſedulo tamen cavens, ne leges promulget, quas natura illius loci non admittat.

CAPVT XI.

De Legibus bonis & malis.

REx Hiſpaniarum ob cauſſas tam Theologicas quam Politicas, nullas novas leges condere poteſt. nam lex Chriſtiana, una cum armis & prudentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Romana, cui ille ſucceſſit, ipſe congruit. Igitur cavendum illi eſt, ne multas numero pragmaticas ſanctiones faciat. Egregium etiam hoc eſſet, ſi leges lingua Hiſpanica, quantum fieri poteſt, ſcriptæ ſint; quo mundus totus lingua & legibus Imperio Hiſpanico aſſuefieret. Verum quoniam Imperium ejus ſub Imperio & religione Romana initium cepit, Latina lingua illud non dedecet. Leges ita comparatæ ſint, ut populus eas ſervet cum amore potius, quam timore, videns ſcilicet, illas ſibi utiles eſſe. Nam cum leges ſoli Regi aut paucis tantum utiles ſunt, populus illas odit; atque inde prævaricatio fit, oriunturque confiſcationes bonorum, aut mulctæ & pœnæ, atque exilia. Vnde mox novæ leges ob tranſgreſſores priorum, novæq; iterum ob harum tranſgreſſores erunt condendæ: & ſic numerus legum quidem augetur, obedientia vero minuitur, & ſubditi odio in Principem inſurgunt, aut è regno migrant; maximo ſane Principis damno: quia ſic numerus militum & ſumma cenſuum decreſcit. Igitur omnis tyrannus, qui leges condit ſibi ſoli utiles, ſtolidus eſt; nam ſic ſeipſum conſumit: contra rex ſapiens dum videtur ſibi nocere, prodeſt. Ipſaque re experimur, principes populares extolli magis, quam illos qui paucos ma-

gnates

gnates aut aulicos in amicitiam ſuam admittunt: quorum Auguſtus & Tiberius contraria exempla præbent. Deinde lex conſuetudini conformis ſit neceſſe eſt: nam populi Septentrionales amant leges humanas, & volunt verecundia potius coërceri quam vi. Propter hanc cauſſam Belgium Dux Albanus peſſundedit. Meridionales, ſicut Vandaloſii ſtrictum jus amant. Itali, item Luſitani & Cantabri mediocritatem expetunt. In Mundo Novo conſiderandum regi eſt, ſub quo climate populus ſitus ſit: nam qui ſub æquinoctiali moderata, qui vero ſub tropicis, ſevera & dura lege opus habent, ſicut etiam illi qui polum verticalem habent; ſed illi qui magis ad zonam frigidam accedunt, laxiores deſiderant leges; remotiores vero & tropicis viciniores, velut incolæ regni Siam, leges amant auſteras & cum religione reverendas; at qui in medio ſiti ſunt, velut Itali, naturam ſub æquinoctiali degentibus ſimilem habent. Quando regio aliqua ob diverſitatem religionis partem incolarum amittit, confeſtim novæ leges per Epiſcopum aliquem & inſignem quendam Capitaneum promulgari debent, & colonia illuc mittenda eſt hominum idoneorum: ſcilicet Belgæ in Africam, Itali in Belgium; Hiſpani in Mundum Novum. Et hoc tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

demum obtinet, cum jure belli procedi-
tur: ſed cum ipſi cedunt, paulatim leges
mutandæ ſunt: ſicut fieri par eſt in Bel-
gio, cum populi Hiſpanis ſe dedunt: tum
enim linguâ magis quam gladio in re-
gendis illis uti debent, & Inquiſitio ibi
ſub alio nomine atque prætextu exercen-
da, pauloque laxius. Verum ſi civitas aut
regio Catholicæ religioni addicta occu-
patur, ſufficit eo ablegare Hiſpanos in
munimenta, & viros ſapientes, qui leges
pedetentim mutent: ſupremis ac præci-
puis muniis præficiat regni ſui cives ac
ſubditos: inferioribus loci cujuſque in-
quilinos: id quod Dux Franciſcus Sænæ,
& Veneti Patavii fecerunt. Vbi vero no-
men Hiſpani odioſum eſt, eo mittat mini-
ſtros Italos perſpectæ fidei. Quid vero in
ſingulis Hiſpaniæ regnis faciendum ſit,
poſtea dicam. Primus legum cuſtos eſto
honor; ſecundus, amor; tertius, timor: ubi
hæc præpoſtere fiunt, res male cedunt.

CAPVT XII.

De Conſilio.

SVpremum Conſilium ſit regis cum paucis ſapientiſſimis, adjunctis quibuſ-
dam è clero. Conſilium Gratiæ, de quo
ſupra, Conſilio Iuſtitiæ ſublimius reddat.
Conſilia quæ ibi ſunt, bene ſe habent, ſed
majori religione obſervabuntur, ob ra-
tiones

tiones antea adductas. plures Eccleſiaſticos adjungi conducat: alliciendis videlicet Eccleſiaſticis, & quo decreta veneranda magis reddantur. Sciendum eſt, non quaſvis nationes ad bene conſulendum idoneas eſſe: ſed illos tantum qui norunt conſuetudinem regionis; vel qui ſcientia imbuti ſunt, ut Plato; vel naturæ dexteritate pollent, ut Cincinnatus. Et cum Hiſpani ſolertes ſint in rebus ſubtilibus, quæque verbis opus habent, Germani autem in rebus quæ manu geruntur, laboremque requirunt, Itali in rebus ad gubernandum ſpectantibus; enitendum eſt Regi, ut pro hac diverſitate Conſilium quoque ordinet. Dico igitur, Conſilium rem nauticam & maritimam ſpectans, Luſitanis & Genuenſibus potiſſimum deferendum: illud vero quod ad artes mechanicas, ignes artificiales, & machinas ſpectat, Tranſalpinis demandetur; aſt quod rerum gubernacula concernit, Italis: quod vero munimentorum, militarium cuſtodiarum, explorationum itidem atque legationum, aut etiam religionis proprium eſt, ad Hiſpanos deferatur. Et, cum Rex Hiſpaniarum univerſi orbis dominus fieri debeat, omnes gentes ad mores Hiſpanorum induendos pelliceat, id eſt, faciat omnes Hiſpanas: faciat etiam illas regiminis nec

non militiæ participes, ſicut Romani ſoliti fuerunt facere, & Turca etiamnum. Nam abſque hoc Hiſpani minus feroces erunt in armis, non habentes in re militari æmulos honoris; neque conſiliarii contendunt alius alium acumine & perſpicacitate ingenii ſuperare, ubi viderint exteris nationibus ad Conſilium aſpirare non licere. Igitur dico, quod plerumque, ſed non ſemper, ſoli Hiſpani ad Conſilium Hiſpaniæ admittendi ſint, & maxime religioſi, quorum minus intereſt. In Conſilium Italiæ, Hiſpani qui in Italia aliquandiu vixerunt, cooptandi ſunt, cum Italis, & duobus Belgis. Nam ſic omnes nationes acquieſcent, & conſilia temperabuntur; quia Hiſpani ſemper adverſus Italos concludent, cenſentes, ſibi ſummam dignitatem deberi, cum caput imperii poſſideant: Itali pro libertate ſuæ gentis bona conſilia ſubminiſtrabunt, compeſcentes atrociam Hiſpanicam: & Belgæ illos mutuo conciliabunt. Conſilium Belgii, (quandoquidem jam certum eſt, omnium nationum Conſilia in Hiſpania habenda eſſe) ſit temperatum Hiſpanis, Italis & Belgis, ob eaſdem duas cauſſas modo adductas. Conſilium utriuſque Indiæ conſtet ex Hiſpanis, & gentibus quæ in illis aliquandiu verſatæ ſunt, ſive ſint Angli, ſive Genuenſes, vel

alii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

alii, modo religioſi in Conſilium ſtatum concernens ſemper admittantur: item barones ſapientiſſimi, aliique qui nationum conſuetudines, religionem, ritus, ſitum itidem & politiam domeſticam ac militarem callent, cujuſcunque etiam ſint nationis. Addo huc rem admirabilem & utiliſſimam, quod ſeptimo quoque anno, & nono, (qui fatales ſunt numeri,) Rex congregari jubeat omnes regnorum ſuorum barones, quorum quiſque tres ad ſummum ſervos ſecum in aulam Regis adducat, & ſapientiſſimum quemque in rebus & ſecretis ſtatus & imperii; & ibi jubeat ſingulos proponere quæ magnitudinem Monarchiæ Hiſpanicæ concernunt, aut bonum ſuæ cujuſque provinciæ; ſimulque declarare, quales errores uſque ad id temporis ibi ſint commiſſi, quos è medio tolli publice interſit. Et omnes omnium Conſiliorum conſiliarii ibi præſto ſint, ut quilibet diſcat quæ ad mundum univerſum ſpectant, & perſpiciat, ubi deliquerit illo ſeptennio, laudemque aut reprehenſionem reportet. Nam ſi hoc fiat, conſiliarii cavebunt, ne quid indignum aut inutile conſulant, ſapientiores & circumſpectiores facti; ipſeque res penitius ſemper introſpiciet nova ſecreta ſtatus ſui, & inde majorem ſe magis magiſque efficiet; ba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

rones vero illo ſeptennii ſpatio cogitabunt, quo pacto ſtatus regis ſui magis elevari poſſit, nec in ignorantia priori perſiſtent; & ipſi cum reliquis literatis ambitionis ſuæ virus non gladio, ſed linguâ exſpuent. Quis vero modum reipub. ſuæ verbis exprimere nequeat, cum nullus philoſophus ſit, qui illam ſuopte ingenio depingere aut conſtituere non audeat? Vnde videlicet hæreſeos & tumultus ſemina ſparguntur? Sed hoc modo, cum remunerationem à rege ſperet, ſatius illi videbitur audiri ipſum, aut id perſcribere, atque ita cogitationes ſuas uſque ad illud tempus recondet. Sic etiam rex de obedientia ſuorum principum ſecurior reddetur, & uniuſcujuſque bene aut male merita cognoſcet, neque ab aulicis aut adulatoribus ſuis decipietur, rationeſque expoſcet à miniſtris ſuis, qui ſuam provinciam male adminiſtrarunt, emendabitque ſimul provincias; aliaque multa bona quæ ipſe recenſere non poſſum, conſequetur, reddetque Conſilium ſuum prudentius magiſque ſecurum. At barones Mundi Novi, ſi ipſi comparere non poſſint, mittant alios in ſuum locum. Hoc clerici divina quadam ſapientia edocti in generalibus ſuis Capitulis conſueverunt facere: at Monarcharum ne ulla quidem; exceptis Venetis, quorum

legati

legati peregre domum reverſi res regionis illius in ſenatu referunt. Et quamvis hic de Conſiliis & Regnis particularibus Hiſpaniæ ſermo fuit; non ideo tamen ſuperſedendum eſt, de generalibus quoque conſiliis verba facere: *Quod plura in ſumma auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus gerantur.* Sed quia diſſertatio hæc nimis, præter inſtitutum, prolixa foret, pauca tantum proferemus. Conſilia nimis ſubtilia & arguta magni æſtimanda non ſunt, quia raro exitum ſortiuntur; ſiquidem quanto major illorum ſubtilitas eſt, tanto exactiorem etiam executionem poſcunt, quod ſummæ eſt difficultatis. Vnde Veneti quamvis minus ingenioſi quam Florentini, plerumque in ſuis deliberationibus feliciores ſunt; ſicut olim Lacedæmonii fortunatiores etiam hac in parte fuerunt Athenienſibus. Non magno in pretio habenda ſunt conſilia quæ nihil in ſe magni aut præclari habent: multo minus tamen vaſta & immenſa, qualia plerunque fuerunt Maximiliani Imperatoris, & Leonis X. Papæ; quibus exequendis nec ſumtus, nec vita, nec vires ſufficiebant: qui ſane conatus ſtatui & reipub. pernicioſi ſunt. Conſilia audacia itidem ſunt periculoſa, quæ ſæpe deſperatio & miſeria ſequitur. Reſtat igitur, ut conſilia multum facilita-

tis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tis & ſecuritatis habeant, ſintque bene fundata & matura, rebuſque fortuitis, quantum fieri poteſt, non ſubjecta. Conſilia lenta magnos Principes decent; nam horum eſt magis ſolicitos eſſe de conſervandis, quam propagandis imperii limitibus. Promta & expedita magis ſint illa, quæ potius ad acquiſitionem & incrementum, quam ad conſervationem ſpectant: de quo argumento latius alibi ſcripſi.

CAPUT XIII.

De juſtitia ejuſque contrario.

SI rex juſtus fuerit, omnes miniſtri ejus ſimiliter juſti erunt; & ſi ſummi injuſti erunt, infimi quoque erunt injuſti: ſed nihil tam nocet regi quam virtutis præmium pro favore alterius diſtribuere. Quare ubi officia ex favore amicorum dantur, ibi res male cedunt: tantoque pejus, quod hodie officiales majores officia minora iis vendant, qui deinde illis ſibique furentur: & in terris exiguis jus commune non obſervatur, ſiquidem hi, dum ſimulant ſe juriſdictionem regis propagare, in odium illum adducunt, miſeroſque ſubditos deglubunt. Quocirca unuſquiſque paret ſe ad rationem adminiſtrationis ſuæ reddendam populo, qui decimo quoque anno regem certiorem

faciet,

faciet, ubi ſibi ſatisfactum ſit, ubi non. Puniantur itidē rigide falſa teſtimonia, quibus totus mundus ſcatet; curandumque ne procuratores fiſci verbis, non dicam verberibus, teſtes adſtringant. Sed præſtaret, pœnam talionis proponi accuſatori non probanti, quia plus hodie calumniarum eſt quam accuſationum: & doctor qui talem ſubornat, aut accepto pretio leges pervertit, in perpetuum ab officio removeatur. Danda etiam Regi eſt opera, ut judices ſemper ſecundum leges pronuntient, & non prout ratio ſtatus aut boni regiminis, ut loquuntur, poſtulat: & inde Rex, aut Vicerex, vel alius miniſter regius, rigorem juris benigne reſtringat, (excepta cauſſa læſæ majeſtatis regiæ immediate) quo benevolentiam populi magis ſibi conciliet. Eradicanduſque eſt mos ille perverſus judicum, qui tamen in animis ſuperiorum altius inſedit, qui quamvis aliquam innocentem ſciant, in re nihilominus nullius momenti condemnant, quo in eum culpa recidat, poſtquam res diu ſub judice fuerit: quo, ut ipſi dicunt, cauſſa prægnans ſubeſſe videatur; nam culpa adeo non exaggeranda, ut potius infringenda ſit; illiſque magis danda eſt opera ut juſti ſint, quam ut videantur cum detrimento populi & ipſius regis: nam hic

culpa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

culpa illorum injuſtorum judicum DEO regique inſenſorum amore populi privatur, quod rerum ſuarum primum eſt; & viri boni amiſsâ famâ deſiderant mutare ſtatum ſuum in meliorem, ſicut vulgo uſu venire ſolet. Nuſquam pernicioſius & occultius peccatur, quam à parvis miniſtris in hac re peccari ſolet: quinetiam, quo majori in exiſtimatione à principibus ſuis habeantur, delicta exaggerare ſolent. Hac igitur in re Commiſſarii decernendi ſunt omni tempore, & quidem ſumptu ipſorum miniſtrorum, qui quotannis certam pretium in arcam communem deponere debent, quæ futuris Commiſſariis detur, ut illorum libri rationum, tempore adminiſtrationis aut poſtea cum res poſtulabit, inſpiciantur. Propter iſtiuſmodi miniſtellos ſæpe integræ provinciæ à Romano Imperio diſciverunt: maxime quando ambitione turgidi convincuntur nimium ad fiſcum aut dignitatem cum re familiari augendam propenſi eſſe. Quam ob cauſſam Parthi Craſſo aurum liquefactum in os infuderunt; quod ipſum cuidam etiam Hiſpano in Novo Mundo contigit. Et profecto avaritia & cupiditas auri in propatulo habita, cauſſa fuit, quod minus proſpere res in Novo Mundo, in quem tam miraculoſe intrarunt, ceſſerint, & quod re-

liqui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

liqui populi id perſpicientes caverunt ſibi ab Hiſpanis, quorum imperium prius non detrectaverant. Idem modus procedendi uſurpatus in Belgio rebus illius perniciem attulit. Cauſſæ criminales tempore pacis protrahantur; (*Nulla* enim *unquam de morte hominis cunctatio longa eſt*) minime vero tempore belli: civiles vero ſine tergiverſatione ac cunctatione dijudicentur & componantur.

CAPUT XIV.

De baronibus ac nobilibus Imperii Hiſpanici.

REx Hiſpaniarum, ne tam vaſtum regnum dilabatur, opus habet hominibus in literarum & armorum ſtudio excellentibus, quos poſtea baronatibus remuneretur; qui poſtmodum quaſi participes regni, ſumma opera annitantur, ut illud ſub auſpiciis Regis ſui tutentur: quæ baroniæ ubi ad homines indignos devolutæ ſunt, multa inde naſcuntur mala: devolvuntur autem ad homines indignos, ſi ſcurris aut fiſcalibus miniſtris, qui novos modos graſſandi excogitarunt, dantur: vel etiam cum virum ſapientem quidem & fortem in illis inveſtit, quibus poſtea homines nauci ſuccedunt; aut luxurioſi aut ſuperbi, qui parum ſoliciti ſunt de avita virtute, fruuntur

tur bonis à majoribus ſuis, ſibi relictis, avitam nobilitatem jactantes, non ſuam propriam. Hinc fieri ſolet, ut rex viris virtute præditis deſtituatur, dum inutiles augentur. Turca, ut huic poſteriori malo obviam iret, remotis omnibus qui alienæ nobilitati incumbunt, illos ſolum qui ingenita virtute excellebant, fovit: nec enim permittit ut filius in ſtatum aut bona patris hæreditario jure ſuccedat; ſed ut ſibi ſoli illa accepta ferat, dum virtutem colit: quod ſi minus facit, ſervit ipſi in arte quadam ignobili, aut militia abjecta. Priori quivis Rex Hiſpaniarum mederi poteſt, ſi ad illos ſolos qui demeruerunt, deferat. Sed ſecundum remedium quo Turcæ utuntur apud Chriſtianos in uſu eſſe nequit. Caveat tantum ne baroniæ creſcant in uno, qui prima occaſione data ab illa deſciſcat; ſicut fecerunt primores Iaponenſium, qui potentia aucti ſe regi ſuo in urbe Meaco oppoſuerunt. Quod & barones Galli fecerunt, impedientes per id propriam ſuam monarchiam; & Scanderbegus Turcæ; itemque principes Tarentini & Salernitani, aliique plures in regno Neapolitano idem auſi ſunt contra Reges ſuos ſive Arragonenſes ſive Andegavenſes. Mala, quibus barones populum & per conſequens regem ſuum afficiunt, hæc ſunt; quod Neapo-
lim

lim & in aulam regis veniunt, ibiq; conſumendo & dilapidando pecunias ſuas ſe oſtentant, & regis amicos demerentur; poſtque inopes domum redeunt, & furantur ubicunque poſſunt, ut damnum illud reſarciant: poſtea redeunt in aulam, idem quaſi perpetuo in orbem agentes: & videmus territoria illorum magis deſerta, quam regia in Italia, vitio ſcilicet ipſorum baronum. Tum ſi populus aut peſtilenti lue, aut à Turcis infeſtatur, petunt à rege tributa fiſcalia in aliquod tempus, quæ ipſi nomine regis magis ſevere exigunt: id quod princeps Roccelenſis poſt prælium cum Turca initum auſus fuit facere. Denique ſub ſpecie Cameræ, ut vocant, id eſt, quo non teneantur milites hoſpitio excipere, aliquot millia coronatorum à ſubditis ſuis extorquent; habentque mille alios modos deglubendi miſeros ſubditos, ne ipſis quicquam ad luxum deſit, aut largitionem. Et licet Hiſpani credant, talem prodigalitatem regi prodeſſe, & ſtatum illius ſecurum reddere, quod tales luxui indulgentes non colligant theſauros, qui ſint inſtrumenta rebellionis; revera tamen multum nocet: nam populos, unde divitiæ ad regem redeunt, ad incitas redigunt. Cui malo ut medeatur, expedit conſtitutionem facere, ne baroni plus 30000. co-

ron. reditus annui ſit, & quod ſuper eſt illis, non ad alium ſucceſſorem quam fiſcum in poſterum redeat: loquor de baroniis quas dono daturus eſt. Quantum ad præteritas, expedit, ut inter barones competentiæ foveantur, quibus unus alium quaſi per contentionem deprimat: item, ut, ſeptennio effluxo congregationem, de qua ſuperius dixi, inſtituat: tum, ut baronibus vinculationes adimantur: Item ut ſinguli barones tot milites & equos regi quolibet triennio alant, quot millia coronatorum annua quiſque habet: item, dividat titulos, & titulatos multos creet; ne paucitas dignitatem illorum augeat: faciat quoq; ut dominia ac prædia nobilia regni Neapolitani, Mediolani, Hiſpaniæ item & Belgii, ab exteris emantur, id eſt, à Genuenſibus, Florentinis, Gallis etiam & Venetis, quo fiat ut barones indigenæ humilientur, peregrini vero magnos annuos reditus regi de dominatione patria pendeant. Vnde auſim aſſerere, regem magis Genuæ quam Mediolani dominari: quia Genuæ nulla res abſque illius voluntate determinari aut fieri poteſt, metuentibus ſemper Genuenſibus, ne dominatus quos in ditione regis Hiſpaniæ habent, perdant; ſic neque rex ſolicitus erit de illis alendis, ſicut de Mediolanenſibus: ſiquidem quem domi tuæ

alis,

alis , is tibi ſervit : ſic Florentini ſemper
ſervierunt regi Galliarum in cujus regno
mercaturam exercent. Verumenimvero
cavendum eſt , ne loca munita unquam
baronibus concedantur. Curandum præ-
terea , ut omnes illorum filii magiſtros
Hiſpanos habeant , qui hiſpanizare illos
doceant in habitu , moribus , & modis
Hiſpanicis. Item poſtquam potentes e-
vaſerunt , humiliet illos prætextu hono-
ris ablegando illos ad officium quoddam
a dominatu ſuo longe diſſitum , in quo
plus conſumant de ſuo quam lucrentur :
quin & cum forte rex Hiſpaniæ evaga-
tur, divertat apud illos, ut ſub titulo ho-
noris magnas expenſas facere cogantur.
Lubens itidem populo de illis conque-
renti aures præbeat. Nec unquam nobi-
litas plus valeat in conſpectu regis quam
virtus : quæ regula cæteras omnes ante-
cedat. Cæterum in omnibus civitatibus
metropolitanis regnorum ſuorum, vide-
licet Olyſippone, Toleti, Antverpiæ, tam
in hoc, quam in altero hemiſphærio, Rex
ſub ſpecie honoris in ſingulis quinque ,
octo, aut decem ſtationes aut Sedes baro-
num curet erigi, quales ſunt Neapoli, ut
cum de rebus ſuis diſponunt, quilibet ad
ſedem ſibi aſſignatam digrediatur. Sic e-
nim diviſi nunquam aliquid in præjudi-
cium regis per mutuam ambitionem de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cernere poterunt; & ubi tres forte leges contra regem, ſemper octo pro rege ſtatuentur. Ita rex ſecurius regnabit. Eodem modo ipſi populi in diverſas ſtationes poterunt diſponi. Atque hic modus honoratior & ſecurior eſt, quam ſi per inimicitias dirimantur, id quod ſcriptores quidam voluerunt, dicentes: Divide & impera. Semper Rex ſtrenuos ac virtute præſtantes diligat, & ad honores evehat. Sed & in quolibet loco ubi ſenatum Conſilii habet, ei communis utrinque ſecuritatis gratia religioſum aliquem è ſuis adjungat. Debentque qui in tali dignitate conſtituti ſunt, ſub juramento, vel alio religioſæ alicujus cum Corona fraternitatis modo, obſtricti eſſe, ut temporibus turbidis ac periculoſis, non tantum aurum argentumque ſuum Regi ad cuſtodiendum tradant in manus, ſed ipſi etiam pro fortuna ac ſalute regni abeant militatum. Quo ipſo Rex, ne forte rebellent, præcavebit: & in tali caſu quaſi pignoris loco in manu ſua habebit uſque adeo omnes illorum theſauros, ut ne matronæ quidem, quos poſſident annulos, monilia torqueſque aureos & alias res pretioſas (perinde ut apud Romanos, cum ab Hannibale aliiſque hoſtibus urgerentur, factum legimus) apud Regem deponere ſint dubitaturæ. Illi Capitanei pro præſtan-

ſtantiſſimis habendi ſunt, qui & ipſi milites fuerunt, ſicut Antonius de Leva, Gonſalvus de Corduba: & illi pro excellentiſſimis conſiliariis, qui ab infimis muneribus per gradus ad ſumma aſcenderunt. Idcirco rex non multum curabit barones, qui prius non ſervierint, quo bonorum ducum militarium & conſiliariorum officia illi præſtare queant. Conquirat igitur viros longo uſu atque experientia præcellentes. Sed nec parva regno Hiſpanico calamitas exiſtit ex ceremonioſis illis præcedentiarum actionibus, ut vocant, quibus ſæpe contendunt inter ſe barones. Quod ſane in bellis pernicioſiſſimum eſt: nam hic virtus militaris unice ſpectanda foret. Et quis ſcit, annon hoc ipſum in cauſſa fuerit, quod claſſis illa in Angliam anno 88. miſſa, peſſum ierit? Multum vero adjumenti barones regi in hoc ferunt, quod, ſi expeditio aliqua minus proſpere ſucceſſerit, confeſtim per barones rem reparare poteſt: id quod Turca nequit præſtare; qui ubi inſigni aliqua clade fuit affectus, protinus viribus exutus, barones nullos reſiduos habet, quorum operâ in integrum reſtituatur: ſicut & Darius ab Alexandro Magno, & Sultanus Ægyptius ſemel à Selymo victus prorſus ſuccubuit. Et ſi æmulatio Chriſtianos non inceſſiſſet in memora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

bili illa victoria maritima anno 71. de Turcis reportata, Byzantium recuperari & Turca funditus extirpari potuiſſet. Diligenter igitur obſervandum eſt regi, in qua re barones noceant, in qua non: habeatque illos potius pro ſuis theſaurariis armorum & pecuniarum, quam pro patronis ſui ſtatus: quin etiam ex illis theſaurariis Capitaneos facere poteſt, ſi jubeat ſecundogenitos reponere ad ſeminarium virtutis militaris terra marique, ut infra dicemus; ſicque ipſos barones illorum genitores quaſi vinctos habebit interventu horum filiorum, uteturque illorum opera quotieſcunque uſu venerit. Vt infra in capite *De Navigatione*.

CAPVT XV.

De Militia.

Militia Hiſpanica, item defenſio & incrementum inde provenientia, duobus modis deficere poſſunt: uno, quia mulieres Hiſpanæ ob nimium calorem parum fœcundæ ſunt: unde cum tam in Belgio, quam in Mundo Novo, & aliis bellis, multi Hiſpani occidantur, accidere facile poteſt ut paucitate militum laboretur. Sicut è contrario Helvetii, & Poloni, atque cæteri Septentrionales populi militibus abundant, propter fœcunditatem mulierum ſuarum, maxime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quia paucæ apud illos monaſteria ingrediuntur; nec lupanaria tolerant, (quibus immane quantum ſeminis humani corrumpitur;) & quia liberiores agunt, nec de dote in contrahendis matrimoniis multum ſoliciti ſunt; ideoque arte & natura multiplicantur. Hinc factum, ut Franci, Gothi, Vandali, Longobardi, Eruli, Hunni, & alii Septentrionales populi ſemper hominum copia abundarint; adeo ut etiam per anguſtiam ſuarum regionum coacti fuerint emigrare, noſtraſque & alias terras occupare, & ad inſtar apium ſubinde colonias deducere: unde videmus nationes Orientales, Græcas, Italas, Hiſpanicas, & Pannonicas extinctas fuiſſe. Quare Hiſpani pauci numero, ob rationes dictas compulſi fuerunt, loca illa quæ armis vicerunt ab incolis denudare; quod teſtatur Mundus Novus; ne ſcilicet perpetuo ipſis timendum foret, ne victi, numero plures, contra illos arma reſumerent: atque ob illam quidem cauſam ab ignaris pro crudelibus habentur. Subditi etiam & reditus imminuuntur; regioneſque populoſæ ab illis abhorrent: atque ob hanc cauſam illi Belgium eodem modo infringere aggreſſi, graviſſimum odium ſibi contraxerunt. Et ecce in regno Neapolitano & Sicilia iſtud etiamnum facere coguntur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quandoquidem vix quinquies mille Hiſpani illa tam ampla regna in officio tenent;& certe dominationes illæ ſola opinione ſuſtentantur. Hac ipſa etiam de cauſa coguntur populos exarmare; quod illos in ſuſpicionem tyrannidis & inhumanitatis adducit, multoſque fugat, quemadmodum Solon ad Periandrum Corinthi Tyrannum dixit. Item cum ſuos duriter habeant, coguntur Helvetios cuſtodes corporis ſui ſibi aſſumere, minus fidei ſcilicet habentes illis quibus ob hanc ipſam cauſam exoſi ſunt; quemadmodum idem Solon ad eundem illum dixit. Alter modus, vel cauſa, cur Hiſpania propugnatoribus deſtituatur, eſt, quod Hiſpani, ſi quando regionem deliciis diffluentem in poteſtatem ſuam redigunt, in illa ſe effæminant ac enervant, ferociamque ingenitam abjiciunt, quo fit ut ſibi ſolis ſecure confidentes, facile rurſus inde expelli poſſint. Ob hanc cauſſam Romani videntes exercitum ſuum in Campania mollitie enervatum, eundem reformarunt. Et Neapoli nullus unquam rex indigena fuit, ob aëris mollitiem & delicias Venereas, quibus animi viriles effæminantur. Nec exteri illam retinere potuerunt; quia temporis progreſſu viles facti, aliorum extraneorum prædæ ceſſerunt; ſicut Viſcardi Suevorum, &

Suevi,

Suevi, Andegavenſium, Andegavenſes Arragonenſium, & in fine Gallorum & Caſtellanorum; quorum hi Magni Capitaneo duce etiam Gallos inde excedere coëgerunt. Idem paſſi ſunt feroces populi Septentrionales, quotquot loca Meridionalia occuparunt; nam mollitie regionum illarum fracti ſunt. Atque hoc pacto Heruli Gothorum præda facti ſunt, & Gothi Græcorum, Longobardi Gallorum,& tandem Vandali & Hunni idem paſſi ſunt. Tartari Turcarum ludibrium facti ſunt: at Turcæ jam Septentrionalium populorum præſidio ſe tutantur, hoc modo: Poſtquam viderunt animoſitatem ſuorum tepeſcere, ſeminaria aliquot militum, (Serragli i.e. clauſtra appellant) inſtituerunt, in quæ omnes omnium nationum à ſe victarum præſtantes & robuſtos pueros concludunt, ubi aſſuefiunt nullos alios pro parente venerari & colere quam ipſum Turcam; diſcuntque ſimul artes militares & religionem: atque ex his ille Ianizaros corporis ſui cuſtodes efficit; & ex his Ianizaris facit poſtea Baſſàs, id eſt, capitaneos & conſiliarios militiæ, item præſides provinciarum & baroniarum: & ex illis, qui apti ad ſtudia fuere, facit MVFTY & CADI, id eſt, ſacerdotes atque judices. Vnde quamvis genus Turcarum deficiat,

tamen nunquam ſtrenuis militibus deſtituitur; quandoquidem ab omnibus provinciarum ſuarum præſidibus tales educari jubet. Et Romani quo ſemper affatim militum haberent, propoſuerunt magnæ dignitatis præmia omnibus qui per virtutem militarem ad honores affectarent viam. Hinc Ventidius, Marius, & alii fortes & prudentes viri eo modo apud illos emerſerunt, donec totum mundum ſuum fecerunt. Ergo rex Hiſpaniarum, ut hæc duo mala, quibus ut plurimum conflictatur, à militia ſua expellat, duas has artes potiſſimum obſervet. Primo, quam primum auferat populis quos ſibi ſubjicit bona immobilia, victumque & veſtitum præbeat, jubeatque terram colere: filios vero illorum milites, aut agricolas, prout magis minuſve expediat, faciat: quod optimum erit facere in regionibus quas certa occaſione obtinuit: ſicut Ioſephus fecit in Ægypto, qui occaſione caritatis ex improviſo ortæ quo melius populo ſubveniret, omnia Pharaoni regi ſuo mancipavit; à quo Turcæ hanc artem didicerunt. Sic enim omnis ſtrenuum ſe in militia præbebit, ut dives evadat, filiique parentum ſuorum veſtigiis inſiſtent. Sed opus erit homine vere ſapiente, ut hoc probis occaſionibus in noſtra regione efficiat: vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ut rex intermedium legiſlatorem conſtituat, (qualis fuit Ioſeph in Ægypto, aut Plato à Dionyſio Tyranno in Siciliam vocatus,) cujus opera in ſingulis ſuis provinciis trium aut quinque civitatum politiam reformet; quarum exemplum reliquæ poſtea ultro ſequentur, poſtquam viderint commoda, quæ illa reformatio ſecum trahit. Idcirco ad hoc bonis & ſapientibus prædicatoribus imprimis opus eſt; ipſeque certum ſecretum, quod ad hanc rem habeo, regi reſervo. Aut, ſi modum jam inceptum perſequi in animo habet, (quamvis ille Novo Mundo minus expedire mihi videtur) dico illum habito reſpectu ad multitudinem vaſallorum & militum ſuorum procedere debere in hunc modum: Primo benefaciat populis remittendo illis tributa, laxando leges, & ſubtrahendo inferioribus miniſtris materiam graſſandi in bona ſubditorum, & militibus affligendi cives, quas ob res populi minus dant operam liberis qui inſtar mancipiorum poſtea habeantur. Vnde filiæ inopia dotis cœnobitæ aut meretrices fiunt; viri vero, ſacerdotes aut monachi, aut profugi, aut militatum peregre abeunt. Quare ſatius eſt benigne illos tractari, pro certoque credi, pecuniam hominibus imperium in inimicos ſuos non dare, ſed potius prædæ

illos

illos exponere. Hinc Hiſpania graviter errat, omnia, ſicut monſtrabimus, pretio æſtimans; quum vaſalli & milites dominum te ſuper inimicos tuos conſtituant, non vero nummi: ſed nummi tantum exiguntur ad hoc, ut educentur & habeantur milites. Præſtat ergo milites quam pecuniam regioni alicui imperare; ſic enim milites & ſubditi humanius inter ſe invicem conſervabuntur. Quocirca tutius erit conſtituere, ut in Hiſpania & extra eam primogeniti ſolum in familiam ſuccedant; reliqui vero omnes ſtipendia ſub rege faciant; quam magnas pecuniarum ſummas ſevere extorquere. Secundo, matrimonia foveantur, negatis certis honoribus, illis qui cum milites non ſint, non tamen, poſtquam vigeſimum primum annum ætatis attigerunt, uxores ducunt: nam hoc pacto dotes, quæ jam matrimoniorum conditionem pejorem reddunt, imminuentur; primum id eſt reipubl. elementum, frequenter à Romanis uſurpatum. Vtile quoque foret legibus cavere, ne filiæ mechanicorum & ruſticorum plus centum Coronatis dotis nomine maritis afferant: & ſub hac lege comprehendantur etiam illi, qui olim mechanici fuerunt. Nam hodie quam primum quis 100. coronatos corraſit, fœnori dat, vultque nobilis ſalutari, vale-
dicens

dicens arti ſuæ; atque ita regis tributum minuitur, non ſine detrimento cæterorum vaſallorum. Verum circumſpectus legiſlator hæc omnia præcavet. Tertio permittat, ut liceat militibus ſuis in Belgio, Anglia & Africa mulieres rapere, quas poſtea pro uxoribus habeant, prout quemque mutuus amor ad hoc illicit, nutriantque illas ſumptibus regis; qui propter hoc ſtipendia militum augebit. Sed hæc omnia fiant hac conditione, ut Germanæ Hiſpanis nubant, & Africanæ Germanis aut Belgis, & Hiſpanæ Italis. Nam hoc lex naturalis vult, ut Hiſpanicus calor Germanica ſuccoſitate fœcundior reddatur, & Africana vehementia & calor Belgio frigore & humiditate melius temperetur, ita ut cupiditas Venerea & fœcunditas, ſicut in philoſophia mea ſcripſi, magis intendatur: & quantum ad hoc temperamentum attinet, Itali ad utrumque boni ſunt. Hincque adeo duo naſcuntur bona, quorum unum eſt, ut mulieres Chriſtianam fidem amplectantur: nam mulier nunquam religionem aliam ab illa, quam maritus ſuus quem amat habet, ſectabitur: velut fœminæ Septentrionales natura frigidæ, amant maritos Meridionales quod calidi ſunt: & Sabinæ pacem conciliarunt inter Romanos prædatores & Sabinos parentes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tes ſuos, qui venerant illas repetitum. Sanctus Paulus inquit, Salvabitur infidelis uxor per fidelem maritum, & contra. Alterum vero bonum eſt, quod rex ſemper militibus abundabit, faciens ipſos quoque militum filios, milites. Iis itaque abundans propter iſtam fœcunditatem quam modo dixi, accendet animos militum ad expugnanda inimicorum loco munita, quo formoſas conjuges ſibi habere poſſint; & poſt quieſcere: atque hoc Platonis ſecretum eſt, ut milites amore ad pugnandum exſtimulentur. Tum etiam volo, ut lege caveatur, ut qui plures mulieres rapuerunt; in caſtellis locentur, non vero caſtra ſequi cogantur; quemadmodum milites uxorati Neapoli in arcibus habentur: & valde expediat in novas Novi Orbis colonias illos ablegare. Tertio, curet erigi in unoquoque loco, Hiſpaniæ, Neapoleos & Belgii, duo aut quatuor ſeminaria militum, in quæ filii pauperum & naturales liberi tantum deducantur, ubi aſſueſiant arma tractare, & regem ſolum pro patre agnoſcere, & ut poſtea in numerum recepti mulieres captas matrimonio ſibi jungant. hocque in cauſa erit quo minus pauperes vereantur liberis operam dare, cum de nutritore eorum certi ſint; & rex habebit milites fideles. In nationibus vero externis, ſin-

gulis nationibus ſingula ſeminaria conſtituat, ut videlicet ſua ſint Maurorum, ſua Belgarum filiis; quos in diſciplina militari educari curet, ſicut Turca Ianizaros ſuos. Sed & mulieres pauperculas ſimiliter in ſeminariis alat, ut militibus lectos ſternant, aut telas, vela, & ſimiles res texant. Tum ne nimis conſanguinitate propinqui inter ſe contra ſtatuta Eccleſiæ copulentur, & quo fœcundiores reddantur, Italæ cum alumnis ſeminariorum Belgii aut Hiſpaniæ connubio jungantur. Hoc enim pacto nec tot inutiles religioſi fient, quibus eccleſia oneratur: quandoquidem non religione, ſed neceſſitate compulſi hoc genus vitæ elegerunt, ſcandaloque aliis ſunt; ipſeque rex damno afficitur, qui minus vaſallorum & tributorum atque etiam militum ob id habet. Et educari poſſunt in iſtis clauſtris ſive collegiis, ſive utcunque libet vocare, omnium nationum homines. Ad illos ſuſtentandos petantur reditus ex xenodochiis & collegiis ſenum, aut aliorum honeſtorum hominum, aut religioſorum, qui concionando quod ſibi ſatis eſt acquirunt; imo & expoſcatur à fœnatoribus, ſicut dicam, ubi theſauro regio loquar. Ita regis patrimonio nihil detrahetur, adeo ut ſit quid de ſuo eroget, potius lucretur. At vero, ut Hiſpani

cum

cum Italis & Belgicis mulieribus unam familiam conſtituant, perutile eſt Hiſpaniæ: ſic enim mundus paulatim more Hiſpanos induet, & facilius ſub jugum ibit. Et errant milites Hiſpanici, qui Neapoli agunt, dum quærunt ſolummodo mulieres Hiſpanicas, quas ſibi matrimonio jungant: quapropter Proregis eſt, ut curet Hiſpanicas cum Italis aut Belgis copulari; honorans illos omnibus modis; maxime ſi inter primores & Barones hoc contingat. Nec eſt quod quiſquam putet, clauſtra illa Turcarum eſſe commentum: nam exquiſitiſſima illa ars eſt ab ipſis Apoſtolis in Eccleſia inventa, quandoquidem Papa tot collegia habet juvenum Germanorum, Anglorum, Maronitarum, ut ſint ſeminaria fidei: & ordines S. Dominici, S. Franciſci, & aliorum, nihil aliud ſunt, quam ſeminaria militum apoſtolicorum, qui lingua ſolum, ſine armis, mundum domant; & hi ſunt ipſiſſimus nervus dominii Eccleſiaſtici. Papa itidem ad dignitatem Sacerdotalem, Epiſcopalem, aut etiam Cardinalitiam, omnes omnium nationum homines admittit, nullo diſcrimine habito pauperum & divitum, barbarorum aut Latinorum (ſicut ipſe Apoſtolus ordinavit) modo quis velit eſſe ſapiens, & vir bonus: hincque

domi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

dominium illius tam late diffuſum unitumque eſt, per Hiſpaniam ſcilicet, Mundum Novum, Africam, Galliam, non minus quam per Italiam; idque propter vinculum religionis commune, & corporum animorumque unionem. Idcirco rex, qui non ſolum fortunarum, ſed etiam corporum & armorum conjunctionem quærit, niſi religione quoque, quæ animorum vinculum eſt, polleat, dominium quaſi abalienatum & minus forte habet: conſtatque, Imperatorem Germaniæ, quod populis religione diſſidentibus imperat, minus pollere, quam aut regem noſtrum, aut ducem Bavariæ. Hinc ergo Turcæ damno noſtro ſapiunt; & nos tranſgredimur legem politicam, ut Romanam aut Gentilem obſervemus. Quare rex faceret quod Chriſtianum decet, ſi curaret inſtitui collegia militum, & ad militares dignitates non Hiſpanos ſolum, ſed quoſvis ſtrenuos eveheret, moribus Hiſpanicis eos aſſuefaciens: ſic enim magis tam ab extraneis, quam à ſuis amaretur. Non contra S. Thomam fit, ſumere & baptizare in ſeminariis liberos hæreticorum & Maurorum, cum jure belli rapiuntur; ſed cum pacis tempore vi eripiuntur, ſicut Hebræorum Romæ viventium: quamvis Scotus utrumque concedat. Item condonet ſeptimo quoque an-

no elapſo omnibus proſcriptis & mortis reis, ſub conditione eundi militatum in Africam aut Mundum Novum. Item conſtituat, ut ſingulæ parochiæ ſingulis annis militem ſufficiant; id quod Excellentia veſtra certum quendam ſuum amicum in Hiſpania propoſuiſſe ait: hoc enim pacto ad ſexaginta millia militum & ultra inde haberi poſſent. Expedit igitur valde, unionem prædictam cum Papa inire. Sed melius eſt, efficere, ut quilibet Baro certo temporis intervallo certum numerum militum ſuppeditet: optimum vero fuerit, ſi & ipſe proficiſcatur in bellum, quando Rex proficiſcitur. Id quod non tantum in Hiſpania, ſed & in omnibus regnis Regi ſubditis obſervari fierique debet. Sicut & illud, ut primogeniti ſoli in bona parentum ubique ſuccedant. Verum enimvero iſtis omnibus regulis locus non eſt, niſi fundamentum Gentium reformetur, ſcilicet in matrimoniis contrahendis, & erigendis ſeminariis militum, qui nutrimento, & veſtitu contenti, ſpe emergendi, ſi ſtrenuos ſe præbuerint, exſtimulantur, ut res quantumvis arduas majoreſque quam Turcarum Ianizari ſolent, conficere non dubitent. Hoc ſufficiat dixiſſe, de militibus augendis, & regionibus non depopulandis. Capitaneos quod attinet, creentur non
ocioſiſ-

otioſiſſimi illi, quos hodie Nobiles vocant; ſed ſtrenuiſſimi & fideliſſimi quique, magis ad ſeveritatem ſicut Annibal, quam ad benignitatem proni ſicut Scipio: hique ex numero militum eligantur, qui fortiter pugnarunt, & per gradus ad dignitates aſcenderunt; velut Marius, Sylla, Ventidius, Antonius de Leva, Cicala, & Occiali. Verum cui ſumma belli credatur, opus eſt viro authoritate præcellente, atque ejuſdem cum rege proſapiæ: aut, ſi metus ſubeſt, ne hic talis ad imperium affectet viam, ſumatur ex Baronibus unus, qui ad hoc negotium aptiſſimus ſit, vir magis actionibus quam oſtentatione & geſtibus pollens. In hoc, quo tutius agat Rex, Conſilium virorum prudentum, fidelium & religioſorum inſtituat, è quorum manibus milites ſtipendia accipiant. Quia nihil in Belgio rebus Regis tam obfuit, quam quod milites ſalario ſuo fuerunr defraudati. Ideoque velim hos eſſe Capucinos; quoniam iſti pecuniam minime omnium religioſorum curant. Vtque ſemper ſint, quibus Capitaneatus demandentur, ſeminaria peculiaria inſtitui debent ſecundo vel poſtgenitorum ex Baronibus ac Nobilibus prognatorum in unoquoque regno; qui erudiantur in arte equitandi, jaculandi, fortificandi, oppugnandi & expu-

gnandi, item, acies & obſidiones inſtruendi, pugnandi itidem, & in cohortes dividendi, quomodoque imperandum ſit militibus, & tironibus præmonſtrandum, quemadmodum Annibali nondum nonum annum egreſſo monſtratum fuit. Veruntamen non ſolum fraus circa ſtipendiorum ſolutionem, ſed & inſolentia ob recentem victoriam, item contemptus minus ſeveri ducis, occaſionem militibus præbet tumultuandi. Quare ſemper in turmas dividendi, nec unquam congregandi ſunt, niſi cum acies inſtruenda eſt; quia tum timor ex hoſtibus illos concordes duci ſuo facit: hoc neglectum inducit malum illud quod Carthaginenſes poſt primum bellum Punicum experti ſunt, quodque Romanis ipſis pernitioſum fuit tempore Furii Camilli. Ergo authores militarium tumultuum ſemper illico in præſentia militum mortis pœnas luant, ſicut olim Speridius, quique exercitum Caroli V. concitavit, ut ex Auſtria retro in Italiam ceſſerit: nam horum eſt gladiis potius, quam lingua rem poſſe gerere. Quique ad mortem condemnati ſunt, ipſius exercitus, non vero ducis manibus occumbant, ne iſtum in odium adducant. Quin etiam ſæpe ignoſcere reis debet, cum univerſi, non vero pauci pro eo intercedunt, ut

Papi-

Papirius, Torquatus & Druſus; quemadmodum Tit. Livius & Corn. Tacitus docent. Hiſpani boni ſunt pedites, etiam cum in locis montanis aut muris depugnandum & tutandum eſt. Galli & Belgæ ex equis bene pugnant, in aperto campo, idque primo impetu. Itali utroque modo præſtarent, niſi naturæ propriæ abuſus ipſos perderet. Populi montani, ut Cantabri, & Helvetii, & Itali Appenninum incolentes, Saxones itidem, pedites ſtrenue pugnant, naturaque propenſi ſunt ad libertatem; fideles habentur, at minus aſtuti. Campeſtres, ut Vandaloſii, Caſtellani, Auſtriaci, Vngari, & Neapolitani, equitatu præſtantes ſunt, & duro imperio coërcendi, infideles, & aſtuti. Has tam exactas conſiderationes dux obſervet, ſi milites arte tractare vult, quod ſi per phyſiognomiam, ſicut Iulius Cæſar, illorum naturam introſpicere nequit. Muneribus illos poſtquam quinquageſimum annum attigerunt demulceat, ut diutius in ſervitio perſiſtant. Quod ſi ad ſexageſimum quintum pervenerint, caſtellis & arcibus imponantur, & domum quieturi remittantur. Oportet inſuper aſſuefacere milites ut onera portent, aut terram egerant in vallo ſtruendo, more Romano, ſi foſſores deſint: vel conficiant pontes, reficiantque triremes, id quod exerci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ercitus Cæſaris in Belgio & Anglia fecit. Et quamvis belli alea non in multitudine conſiſtat, ut docet Alexander Magnus, qui triginta millibus veteranorum totum mundum ſubjugavit, & Scanderbegus, atque item Cæſar cum paucis multos ſubegit: tamen multitudo ſemper multum præeminet. Hinc Turca ſemper quaſi vicit: nam cum numero abundet, imbellem omnem multitudinem in principiis pugnare jubet, ut ita milites noſtri vires in trucidandis illis conſumant, atque in fine à Ianizaris integris adhuc vincantur. Hic mos non plane diſpliceat, nî impius ſit. Quare in militiam emittendi ſunt homines experti, quique Chriſtianiſmi utilitatem ac gloriam ſibi ante oculos propoſitam habeant, non vero ſuam propriam: neque ob parvi momenti cauſſam morti illos exponere decet. Imo quandoque manu ducis propria curandi ſunt, ſi uſus veniat, quo charior illis fiat. Concionatores etiam in exercitu habendi ſunt, qui illi Deum in mentem & memoriam ponant, exemplo Machabæorum. Quod ſi paucis vincere cupis, neceſſe eſt, ut plures proprios milites, quam auxiliarios habeas, aut etiam mercenarios, vel limitum tuorum cuſtodes, ne in medio collocati fugam capeſſant. Requiruntur huc plures aliæ obſervationes, quas om-

nes

nes hic recenſere non poſſum: namque jam id ſolum adduco, quod Hiſpaniam concernit. Sed providendum eſt in militia ſupra omnia, ne milites pecorum inſtar tractentur. Qui ſi ſtipendia ſuo tempore accipiant, ſi vulnerati ſedulo curentur, ſi gloria militari, ſi alloquiis bonorum concionatorum, & præmiis excitabuntur ad virtutem, minime fugam aut defectionem, quæ duo peſſima mala ſunt, circumſpicient. Religioſi uniuſcujuſque militis res egregie geſtas ſcriptis recondant, regique ipſi cum remuneratur milites ſuos, exponant. Hæc enim cauſſa eſt, quod barones arma ſumere tergiverſantur, dicentes, Rex ipſe præſto non eſt, ut magnanima mea geſta coram inſpiciat, neque etiam perfidæ invidorum Capitaneorum commemorationi ſat fidei habeo. Nec pecunia ſolum numerata illos muneretur, ſed quandoque corona aliqua aut quercina, aut oleaginea: quod argumentum honoris illis magnificum, & tibi oneroſum non eſt: conſtantiuſque inde apud te perſiſtent. Quippe, pecunia alterius comparare & vendere itidem fidem, quam tu ab illis comparaſti, poteſt, non vero honorem; cum ignominioſum ubivis, etiam apud hoſtem ipſum ſit, deſerere regem ſuum. Quare impune à quovis occidi debet, qui primus fugam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

capeſſit, aut prædatum procurrit ſine ducis ſui licentia: quæ res ſæpe victoriam remorata eſt, & qui minimi in acie pretii ſunt, hoc modo diteſcunt, dum fortes ad extremum uſque vitæ ſpiritum pugnant. Qui occupat locum commilitonis interfecti, aut protegit ſervatque illum, accipiat coronam quercinam, civicam dictam. Qui primus in murum evadit, coronam muralem ex herbis flexam, è manibus ducis accipiat, cum applauſu & cantu militum, more Romano. Nam hæc duo, pœna ſcilicet & præmium, militaris diſciplinæ fundamenta ſunt; quorum prius à malefaciendo abſterret, poſterius vero ad benefaciendum inſtigat; illud in rebelles & viles, hoc vero in generoſos & ſtrenuos inventum; illud fræni, hoc vero calcaris inſtar eſt. Alexander Magnus in honorem militum ſuorum apud Granicum flumen occiſorum, ſtatuas marmoreas magnificum in modum erexit. Rex Siam, ut animos ſuorum ad fortiter pugnandum accenderet, curavit nomina illorum qui ſtrenuos ſe geſſère, in librum deſcribi, & poſtea coram ſe recitari: quod idem & Aſſuerus, ſacra ſcriptura teſte, factitare ſolitus eſt. Cum de magnis imperiis acquirendis agitur, Rex ſemper in militiam ipſe proficiſcatur; quandoquidem Reges bellicoſi ſem-

per plus acquirunt quam deſides : quod regi in acquirendo gnaviter conſiderandum eſt. Quod ſi de tutando tantum principatu agitur, maneat licet domi, modo Capitaneos fortes & fideles ſuis militibus præficiat. Sed ſemper opinionem bellicoſi de ſe præbeat, ſi contemptui exponi nolit, aut oſtendat palam, ſe amare bellum. Vt citra periculum vincat, magnum militum numerum ſecum ducat; ut nec exiſtimationem perdat, nec ab hoſtibus contemptui habeatur. Clades ſuorum minus nocent ubi ille ipſe præſens non fuit. Militia maritima in qua Genuenſes, Luſitani & Hollandi excellunt, eſt maxime neceſſaria; nam qui ſe dominum maris efficiet, idem etiam dominus terræ erit.

CAPVT XVI.

De Ærario ſive Theſauro Hiſpaniæ.

ÆRarium ſive Theſaurus eſt neceſſarius etiam ad exiſtimationem conſervandam: nam ita comparatum eſt hodie, ut principatuum potentia æſtimetur ex abundantia pecuniarum potius quam magnitudine territorii ſui. Ideoque non ſolum belli, ſed etiam pacis temporibus, habeat princeps ſemper pecuniam præſentem: difficile enim & periculoſum eſt, præſertim flagrante jam bello, expe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ctare dum nummi colligantur. *Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.* Opus igitur eſt, ut pecunia ſemper in promptu ſit, ad milites illico conſcribendos; ne, dum tu in conquirendæ pecuniæ ratione occupatus es, hoſtis tuus te præveniat. In hunc finem Auguſtus ærarium militare inſtituit, teſte Suetonio, utque perpetuo ac ſine difficultate ſumptus ad colligendos ac ſuſtentandos milites ſuppeterent, novis illud reditibus ac vectigalibus locupletavit. Sane multi mirantur, quod rex Hiſpaniarum, cum plus quam viginti miliones auri quotannis percipiat, nondum tamen ſeipſum Monarcham orbis Chriſtiani effecerit, nec Turcas præterea invaſerit. Quibus ego citra admirationem reſpondeo, hoc nimirum accidere, quia neſcit occaſionem prehendere, quæ fortunam magnorum imperiorum hactenus ſuſtinuit. Occaſionem quidem dedit conjunctio Caſtiliæ, & Arragoniæ, Neapolis & Mediolani: ſed multo majorem Carolus V. vir militaris, rex Hiſpaniæ, præterea electus Imperator Germaniæ, qui his auſpiciis mundum ſibi ſubjicere potuiſſet, modo ſciviſſet æque bene leges victis imponere, ac ſcivit vincere. Hic occupavit Tunetum, & Ariodeno Turca inde expulſo, Muleaſſem Maurum regem illius loci conſtituit, non

mutato regni ſtatu. Dein vicit Germaniam, hoc eſt, principes proteſtantes, quos dignitate Electorali exuens in eorum locum conſanguineos & fratres illorum ſubſtituit, cæteroquin nihil mutato illorum ſtatu. Cumque Lutherum in manibus & poteſtate ſua habuerit, illum tamen, vanam clementiæ famam aucupans, dimiſit; ut ſcilicet totam Germaniam cum Belgio ſeduceret. Cepit Franciſcum regem Galliarum, illumque libertati ſuæ reſtituit, ut ſcilicet novum ille concitaret bellum, quo conatus illius irritos redderet. Expugnavit Siænam & Florentiam, & dono illos dedit familiæ Mediceæ, ſcilicet, quo majores haberet inimicos. Nam qui ab aliquo ad aliquem potentiæ gradum evectus eſt, deſiderat id quantumcunque ſervitii, quod illi debet, non præſtare; ideoque eo jugo excutiendo occaſiones quærit quibus benefactorem inimicum ſibi reddat; id quod Duces Florentiæ, & Mauritius Elector Saxoniæ adverſus Carolum V. fecerunt. Et beneficia, quæ propter magnitudinem ſui rependi non poſſunt, benefactoris virtutem plerumque in odium adducunt, ut in modo nominato Franciſco rege Galliarum, & Carolo V. manifeſtum factum eſt. Cauſſam etiam non acquiſitæ monarchiæ hanc addo, quod Philippus

lippus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

lippus patri ſuo non etiam in bello potuit ſuccedere, & propterea Belgium una cum titulis Imperialibus perdidit. Sed infortunium quod ex Carolo filio ſuo acceſſit ſuperavit omnem aliam : nam ille ejus loco potuiſſet gerere bellum. Quod cum non facere poteſt Rex, ſemper cogitur magis tutari regni ſui limites quam propagare : imo in officio continere Capitaneos ſuos, ne deprædentur & è theſauro ſuo diteſcant, in id potius incumbentes, ut officinam bellicam in rem ſuam inſtituant potius, quam ut Regis imperium dilatent. Ideo has regulas (quamvis loco huic minus convenientes) do, ut cum regio aliqua nova, & cui ſit religio & ratio gubernandi diverſa, acquiritur, illa habitatoribus denudetur, educendo populos, ut ipſi pro mancipiis habeantur, & baptizando filios illorum, & in Seminaria amandando, aut tranſportando illos in Mundum Novum : in quorum locum colonia nova ex tuæ regionis hominibus, ſub duce fideli & prudente mittatur. Id quod Carolum V. Tuneti facere, & Muleaſſem Neapolim deportari par fuiſſet. Imo hoc ipſum etiam decuiſſet facere in Germania, nempe Saxonia, Marchionatu Brandeburgico, Landgraviatu Haſſiæ, ubi mutatis ducibus novæ Coloniæ inſtituendæ : Civitates vero

liberæ ademptis privilegiis ſupprimendæ: denique tres Cardinales gubernatores toti Germaniæ imponendi fuerant. Cum autem regio nova dominio ſolum, non etiam religione diverſa acquiritur, nil circa populum mutetur; ſed valida præſidia genti imponantur: magiſtratus autem primarii è regiis conſtituantur, inferiores vero è plebe illius loci; cujus itidem leges paulatim mutentur in leges regias, intendendo vel remittendo illas, prout regionis illius ratio poſtulat: authores factionum è medio protinus tollendi ſunt, vel occiſione, ſi ſe tibi oppoſuerunt; vel, ſi tuas parteis foverunt, tranſportatione in Hiſpaniam, ut ibi baronias in præmium accipiant, vel liberum ſit commercia in tuis regnis exercere. At nunquam capita gentium quas ſubjugaſti, in ſuis locis relinquantur: quod cum Strozzis, Medicis, Capponis, Petrucciis, & aliis factionum anteſignanis, Sænæ & Florentiæ fieri oportuit. Quin & Galliæ regem Franciſcum ſic coërcitum oportuit, ne in poſterum contra Carolum V. quicquam moliri potuiſſet. Hæreticos vero, & Lutherum confeſtim poſt comitia Auguſtæ habita, ſub alio prætextu technis opprimere, de quibus infra, ſatius fuiſſet. Quod ſi Carolus V. hæc obſervaſſet, neutiquam tantum oneris & ope-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ris ad Philippum tranſmiſiſſet, & fortaſſis Carolus filiolus illius adhuc ſuperſtes eſſet, & ipſe in bellum profectus fortaſſis Africam, Hungariam, Macedoniam, Italiam & Angliam ditionibus ſuis adjeciſſet. Sed ille, ut dixi, ſolus horum malorum, quæ etiamnum fiunt cauſſà fuit. Quo minus proinde miror, quod tanta pecuniæ ſumma Hiſpanici Imperii limites non propagati ſint. Potius miror, quod Rex tam opulentus, tributa illa ad uſus neceſſarios non repoſuit: quod illi perniciem afferre potuit. Nam ſi negotiatio maritima illi ſolum in quinquennium aut ſexennium tolleretur, aut claſſis è Novo Mundo auro & argento onuſta remeans interciperetur, annon tum urgeret ipſum neceſſitas, ut exactionibus nimiis proprios ſuos ſubditos gravet, & ſic odium illorum in ſe derivet, mercatores evertat, milites ſtipendiis defraudet, atque minima quaque occaſione illos amittat? Eſt etiam admiratione dignum, quomodo conſumatur tanta divitiarum vis, ſine ullo emolumento; cum videamus Regem fere perpetuo inopia laborare, atque etiam ab aliis mutuo accipere. Vnde dico, fieri non poſſe, quin res male ſuccedant, quamdiu huic malo obviam non itur. Non tamen dico, omnem Regis potentiam ſolum in nummis conſiſtere:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſtere : regique conſiderandum pecuniâ ſolâ ad vincendum hoſtem parum profici. Certe Iulius Cæſar experientia militari, & amore militum, etiam pauciſſimorum, univerſum mundum ſubegit. Sed & Saraceni, Tartari & Hunni ſine nummis mundum pene totum ſibi ſubjecerunt. Igitur pecuniæ ut ſeſe ſuſtentet utiliſſimæ ſunt, non itidem ût regiones acquirat. Atque hanc ob cauſſam virium ſuarum nervos in alio quam in divitiis ſitos eſſe credat. Nam fides pecunia comparata, pecunia rurſus vendi poteſt. Et vide quæſo, quomodo in Gallia Philippus noſter Duces Meduanium Ioieuſam, Mercurianum & Guiſium, contra Regem Navarriæ pecunia ſua ſuſtinuerit; & quo pacto Navarræus eoſdem illos recuperaverit, & ad ſe pertraxerit, poſtquam ille tenacior factus manum clauſit. Item Capitanei & milites in Belgio jam vere cauponantur potius quam belligerant, minime pugnantes ut vincant, ſed ut lucrum ex arte militari faciant, & arma, quæ inſtrumenta imperii ſunt, avaritiæ & ludicrorum ſuorum inſtrumenta fecerunt. Rex ſeipſum decipit dum avaritiæ indulget; quandoquidem ſatis pecuniarum habet, ſi ſatis militum habet, cum amore reciproco, & mutua virtute; quæ ſi deſunt, ſatis perdit. Primo itaque & ante

omnia rex animos ſuorum ſibi in theſaurum devinciat, vaſalloſque ſuos virtute domeſtica ac militari amicos ſibi reddat, reddens ſe admirabilem, novas ſcientias profitendo & proponendo: &c. ut ſupra. Secundo corpora ſuorum ſibi theſaurizet, multiplicando eos per connubia, honores, & illecebras: &c. ut ſupra. Tertio facultates ſuorum ſibi theſaurizet dum divites illos efficiat, curando ut agricultura vigeat, ut ſerificia, lanificia, aliaque opificia ac utiles artes ſedulo exerceantur potius, quam, quod hodie fieri videmus, quando plerique in minoribus oppidis fænori dant operam, in locis vero majoribus ad mercaturam & extorſionem animum applicant. Papa theſaurizat ſibi in animis hominum; atque ideo vincit; quia hoc cum eloquentia & ſapientia conjunctum inſtrumentum eſt, quo ille theſaurus acquiritur. Hinc Saraceni linguæ opera, itemque novarum ſcientiarum & novæ religionis profeſſione victores evaſerunt. Cæſar theſaurizavit ſibi in animis & corporibus, virtute ſua propria militum cujuſcunque generis animos ſibi devinciens. Sed Tartari & Hunni per corpora ſola id confecerunt, reddentes illa fœcunda eum in modum, ut numero aucti, nativum ſolum inſtar apum deſeruerint, & alienum occupaverint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

rint. Iam vero rex omnes iſtos theſauros ſuo jure exigere poteſt, religionem ſcilicet bonis concionatoribus; amorem ſui, legibus, utilitate & vera juſtitia; multiplicationem eo modo quem ſupra de militibus propoſui: & à ſingulis exigat id, quo abundant; à Germanis populos, ab Hiſpanis milites, ab Italis Capitaneos & veſtes, à Mundo Novo aurum; non vero contra. Vere affirmare poſſumus, mundum novum quodammodo perdidiſſe mundum veterem; nam mentibus noſtris avaritiam inſevit, & mutuum amorem inter homines extinxit. Quilibet enim ſolo auri amore flagrat: hinc facti ſunt fraudulenti, fidemque ſæpe pretio vendiderunt & revendiderunt, videntes pecuniam paſſim prævalere & in admiratione haberi, & ſcientias ſacraſque conciones numis poſtpoſuerunt, agriculturæque cum cæteris artibus valedixerunt, mancipantes ſeipſos fertilitati pecuniæ, & divitum domibus. Produxit pariter magnam inæqualitatem inter homines, reddens illos aut nimis divites, unde inſolentia; vel nimis pauperes, unde invidia, latrocinia, & aggreſſiones. Hinc pretia frumenti, vini, carnium, olei, & veſtimentorum ſupra modum adaucta ſunt, quia nemo illarum rerum mercaturam exercet, unde penuria: & pecu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

niæ interim expenduntur; adeo ut inopes tantis expenſis haud ſufficientes in ſervitutem ſe præcipitent, vel etiam profugiant aliquo latrocinatum aut militatum, impulſi paupertate, non amore regis aut religionis; ſæpeque etiam ſigna deſerunt aut commutant: nec dant operam liberis per legitima matrimonia, cum tributa exolvere nequeant; aut certe omnem movent lapidem, ut in cœnobia prò monachis aut concionatoribus recipiantur. Nunc conſiderandum Regi relinquo, annon vincatur ab auro, quod tot malorum cauſſa eſt. Propterea dico, multa reformatione hic opus eſſe, ut regis ærarium dives evadat, & plus amoris & fidei illi à ſubditis ſuis præſtetur: id quod fieri poſſet ſi regulæ illæ de augendo numero ſubjectorum, & remittendis aut minuendis tributis & crudelitate obſervarentur; ſique rex ipſe in militiam profectus, ſapientibus & ſtrenuis ſuis ducibus & militibus, ad honorem potius quam ad avaritiam viam ſterneret, renovaretque ſcientias. Tum ſi leges conderet, quibus primo honos ſuus obedientibus illibatus maneret, immorigeros verò vituperium comitaretur: quibuſque ut tanto magis obediatur, proponenda ſecundo ob oculos utilitas quæ inde reſultat; tertio autem loco timor pœnæ: cui

hodie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

hodie abſurdi ſcriptores primum locum attribuunt in ratione ſervandarum legum, qui tempus plus quam religionem conſiderantes, timorem magis quam amorem requirunt; quoniam Gentilium rectores illum huic prætulerunt, atque per hoc impium Machiavellum & alios ſimiles, regulas illas docuerunt. Verum ſi nihil loci reformationi relictum ſit, neceſſarium eſt, habito reſpectu ad abuſum hodiernum, ut theſauri coacerventur, ne ære alieno in fine obruatur, aut alia damna ingruant; ſi forte claſſis intra triennium aut quinquennium è Novo Mundo non rediret. Ante omnia itaque exponam regulas uſitatas; & poſt à me excogitatas. Primo materies ſuggerenda fœnoribus & fœneratoribus, & quilibet certo modo aſtringendus, ut ſemper pecunias in depoſito habeant; ut cum neceſſitas flagitaverit, inde acervatim peti poſſint: quod in omnibus primariis urbibus, tam Neapoli, quam in Hiſpania obſervandum eſt. Tum vero exigendi ab illis nummi illi ſunt, cum grave aliquod bellum imminebit; idque interveniente autoritate Papæ, ne rex ipſe in odium apud ſuos inducatur. Secundo vectigal Apuliæ à Ferdinando rege in uſum vocatum introducatur per omnes provincias, in illa ipſa aut ſimili forma. Tertio curet

omnes barones pecunias ſuas in medium proferre, conſtringens illos nomine religionis & coronæ Hiſpanicæ cui connexi ſunt. Quarto impetret à Papa indulgentias Cruciatæ in omnibus ſuis regnis, nummoſque inde collectos in ærarium deponat, ut augeantur in eum modum, ut poſſit exercitus ex illis conſcribi, qui in Terram Sanctam mittatur. Quinto obtineat à Papa in quinquennium integrum, ut omnes Eccleſiæ, Monaſteria, Epiſcopatus & Parochiæ ſuarum provinciarum certam pecuniæ ſummam in ærarium theſauri ſacri, ad bellum contra infideles gerendum, conferant: quinque videlicet pro centum, ex omnibus reditibus ſuis: ſed ita ut ſingulis annis unum remittatur, hoc modo: primo anno ſolvant quinque, ſecundo quatuor, tertio tria, & ita deinceps uſque ad finem quinquennii. Sed Veneti decimas exigunt. Hicque modus cum Papa iniri poſſit prætextu belli contra infideles inſtituendi. Poſtea duo Epiſcopi theſauro huic cuſtodiendo præficiantur. Sexto rex per theſaurarios ſuos negotietur mercimoniis in quaq; regione uſitatis, velut in Calabria ſerico, in Apulia frumento, in Sicilia oleo: hoc enim modo ſuos à fœnerationibus averſos ad agriculturam convertet, ingenſque lucrum inde conficiet. Septimo emittat in

omnes urbes & oppida, præſertim Neapolitanas, unum commiſſarium cum uno conſiliario, homine Clerico, contra uſurarios, quibus probent tribus teſtibus, ſe uſuras è conſuetudine regni ſumpſiſſe: ſecus, auferant illis omnia bona, & in unum conferant. Poſtmodum rex illis dimidium reſtituat: exempli gratiâ; ſi cui uſurariorum decem millia coronatorum ademta ſint, reſtituantur illi quinque millia; quia hoc genus hominum odioſum vilipenditur, nec eſt quod metuas illos rebellaturos; quin & populus ipſe, cum videt illos peſſundari, lætitia perfunditur, nec illos ſequitur: ſed & ipſi uſuarii, cum illis dimidium relinquitur, bene ſecum actum putant. Tu vero cum reliquo coacerves Montem pietatis, ſeu miſericordiæ, mutuo dando pauperibus ſub pignore, cum hac conditione, ut pignus tibi diſtrahere liceat, niſi illud ſuo tempore redimant. Poſtea cum pecunia inde redacta negotiari poteris, id quod uſuarii ipſi faciunt; vel clauſtra & ſeminaria militum & mulierum paupercularum, de quibus ſupra, illis ſumptibus ædificentur. Et hic actus religioſorum etiam contra barones, multum prodeſt animæ, corpori, & ſtatui, qui alioquin ſuis artibus totum mundum ad ſe raperent & devorarent. Octavo rationes exigat ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

omnibus miniſtris regiis & ſyndicis pro univerſo tempore adminiſtrationis illorum; quodque ab illis mulctæ nomine exactum eſt, in ærarium deferatur, reddaturque illis dimidium, aut etiam minus, ſi videbitur: quo facto tam populus quam ipſe rex lætabitur. Nono vocet omnes qui ſententia aliqua condemnati, aut etiam infames redditi ſunt, cremarique jubeat judicia à quinque annis retro contra illos habita; quo facto ſe honoratos ſentient; ſed pro hoc beneficio certam pecuniæ ſummam dependere teneantur. Decimo ab unoquoq; qui primo in aliquam præclaram urbem, qualis eſt Neapolis, aut præſidii, qualis eſt Cotron, intrat, exigatur aliquid in ipſo introitu, ſub prætextu recognoſcendi omnes qui intrant. Vectigal exigatur pro omnibus rebus, tam neceſſariis, quam ſuperfluis: ſed pro neceſſariis, ut cibo, potu, oleo & ſimilibus parum; pro ſuperfluis largius. Pro chartulis luſoriis ſolvantur duo carolini, pro teſſeris luſoriis unus carolinus, pro chartæ ſcriptoriæ volumine 24. foliorum unum granum, pro chirothecis dimidium carolini: pro holoſerico, verſicoloribus, ſtragulis & veſtimentis auro argentove ſqualentibus, in commodum regis exigatur largiter: ſed multo plus meretricibus extorqueatur, ſicut

Nea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Neapoli, & in omnibus locis fieri debet. ut in ſingula proſtibula ſingulis ſemiducatis vectigal augeatur. Nec balneæ, aut theatra, aut hiſtriones hinc exempti ſint, nec diverſoria publica, aut armaturæ cujuſcunque etiam generis ſint. Servetur autem in omnibus regula modo dicta, Res neceſſariæ parum, non vero neceſſariæ multum ſolvant. Similiterque Rex urgente reipublicæ neceſſitate, in fundos ſubditorum ſuorum æſtimatione facta vectigalia aut tributa imponat. Hocque ita fieri juſtum & æquum eſt: nam omne bonum privatum inſervire debet bono publico; ſine quo res privatæ ſuſtineri nequeunt. Sed hujuſmodi tributa aut taxationes non perſonales, ſed reales ſint, id eſt, non in capita hominum, ſed bona fiant: ne videlicet totum impoſitionum onus in ſolos pauperes ruat, quod plerumque fieri ſolet: nam nobiles onus quod ipſis injungitur in plebem excutiunt; & civitates primariæ in ruſticos; quod omni juri & æquo repugnat. Neque etiam alia bona quam certa & ſtabilia graventur: nam Dux Albæ, qui idem in mobilibus & incertis bonis quoque facere tentavit, totum Belgium in ſe concitavit. Quod ſi ſumma neceſſitate flagitante mobilia & incerta quoque bona huic oneri ſubjicere vis, haudquaquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quam diſplicet mihi ut eo modo ad hoc procedas quo civitates quædam Germanicæ, Norimberga ſcilicet, Auguſta, Colonia, & aliæ procedere ſolent, ut hoc committas jurejurando ſubditorum. Iuſtius tamen & magis legitimum eſt illud genus exactionis, quod exercetur in merces quæ importantur aut exportantur: nam rationi convenit, ut qui in noſtro ſolo aut de noſtro lucratur, viciſſim aliquid dependat. Cum vero negotiatores vel ſubditi noſtri vel peregrini ſint, æquum eſt, ut plus à peregrinis quam à noſtris poſtulemus: id quod Magnus Turca etiamnum obſervat; dum pro mercimoniis quæ Alexandria evehuntur, ab exteris decem pro centum, à ſuis vero tantum quinque exigit. In Anglia extranei quadruplo plus ſolvunt quam incolæ; in Dania triplo, & denique varie pro varietate locorum. Vt paucis dicam, eo opes omnes confluunt, ubi res ad ſuſtentationem vitæ humanæ, neceſſariæ, plurimum abundant, ita ut principi omni opera contendendum ſit, ut ſuos ad agriculturam & omnis generis artes exercendas inducat: de quo alibi fuſius. Lucra quæ populus exoſus eſt, fugiantur, aut aliud nomen illis indatur: quomodo Fiſcales ſolutiones minui & ſub alio titulo peti debent. Hinc Auguſtus non

Regem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Regem, ſed Tribunum ſeſe appellavit; ſcilicet, quia nomen regis odioſum fuit apud Romanos. Ita tributa nominentur Petitiones, aut Erogationes; varienturque nomina perpetuo: quia nomen Donativi jam faſtiditum populo & odioſum eſt, rex aboleat illud, aliudque nomen illi indat. Sed in his rebus ſubtilis eſſe nolo, quamvis poſſem. Negotiatio cum Genuenſibus Regi pro theſauro eſt. Sedulo igitur det operam, ut ejuſmodi negotiationes ac commercia quoque cum aliis populis ac gentibus inſtituat. Sunt & aliæ plures utilitates extraordinariæ, quas principes partim à ſuis, partim etiam ab extraneis percipere poſſunt; ut ſunt, caduca, confiſcationes, condemnationes, donativa, portiones, honorantiæ, ut vocant, ſimileſque plures aliæ, de quibus ſingulatim eſſet dicendum. Verum conſtitui de illis coram colloquii cum rege.

CAPVT XVII.

De populi amore & odio; item de conjurationibus.

Videri forſan alicui poſſit, in rebuſp. mutuum amorem communis utilitatis cauſa inter cives colendum eſſe, quod apud Venetos fieri conſuevit; verum in regnis monarchicis odium & diſſidium

inter ſubditos diſſeminandum eſſe, ne alter alterius injuriam à Rege acceptam vindicatum eat, neve contra regem conjurent, atque ita omnis amor in regem vertatur. Hæc regula pluribus modis abſurdiſſima eſt. Primo quia regem crudeliſſimum tyrannum reddit, qui ſibi ſoli, non vero univerſo populo proſpiciat; ita ut per mutuum ſubditorum odium non amor in regem, ſed timor, & invidia accendatur. Secundo, quia dominium naturale concordiam inter populos expoſcit, quo firmius in propulſandis inimicis ſuis perſiſtant, atque unus alium domi militiæque mutuis officiis ſibi devinciat. Quocirca boni legiſlatores communi conſenſu in hoc incubuerunt, ut ſubditos amore mutuo & unitate religionis quaſi conglutinarent: eoque curarunt ut in templis congregarentur, quo melius perſpicerent cauſam propter quam ſe mutuo amare deberent: nam ignoti nullus amor. Hac de cauſa motus Plato, privata ſacella prohibuit: & Moyſes unum ſolum templum in toto regno Iudaico inſtituit, ita ut omnes in una religione & amore unius ſolius DEI concurrentes, amorem mutuum inter ſe uſquequaque adimplerent. In hunc finem præter conjugia inſtitutæ ſunt etiam clientelæ, & alii actus mutuam utilitatem producen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tes & foventes; item mercaturæ, & officioſæ partitiones honoris aut obſequii cauſſà initæ. Hæc principi utilia ſunt, non vero odium, quod Galliæ perniciosum fuit. Taleſque contentiones profuerunt Romæ cum plebs ſuperior evaſit: obfuerunt autem, quoties nobilitas vicit. Licet Florentiæ contrarium evenerit: nam ibi plebs victrix non nobilem ſe effecit, ſed contra nobiles ſe humiliarunt: cujus contrarium evenit Romæ. Quare dico, elaborandum eſſe regi, ut amorem mutuum inter ſuos inducat. Hic autem amor mutuus conciliatur, Primo ſub unitate religionis, exſtirpando illos qui zizaniam ſpargere conantur, id quod Belgium peſſundedit; Secundo, matrimonia Hiſpanorum cum quavis alia gente; Tertio, mercaturam & collybum inter diverſas nationes; Quarto, æqualitatem inter illos inducendo. nam hic error jam per totum Chriſtianum orbem invaluit, ut hic ſit pauperrimus, ille vero ditiſſimus; quam rem Plato ſupra modum exoſus fuit. Æqualitas autem civium é medio tollit invidiam, rapinam, faſtum, odium, & mollitiem populi. Vnde Moſes inſtituit, ut ſeptimo quoque anno hæreditates ſuis familiis reſtituerentur, & ſervi ſuæ nationis manumitterentur, ferentes etiam aliquod lu-

cellum

cellum ſecum ex domo patroni: idque legi & voluntati divinæ congruum eſſe docuit. Ob hoc eleemoſynæ, item alii actus pii cum xenodochiis inſtituti ſunt, quo honor inter illos cum æqualitate aliqua conſervaretur. Romæ nunquam (teſte Saluſtio) in patriam conjurationes factæ ſunt, niſi cum divitias multorum ad ſe pertraxerunt pauci, id eſt, Craſſi, Pompeii, aut Cæſares: & tempore Lutheri & Calvini ruſtici in Germania ſeditionem contra Nobiles moliti ſunt; quoniam ſcilicet illi duo conculcata veritate euangelica zizaniam ubique & perverſiones ſtatuum ſeminarunt, cum integrorum regnorum ruina. Quinimo videmus quoque noſtro tempore, unum fore qui centies mille quotannis in reditus accipiat, & mille homines quorum ſinguli vix centum habent. Atque illud omne conſumet ille in canibus, equis & morionibus alendis, & in tegumentis equorum auro ſqualentibus, aut, in ſcortis, quod pejus eſt. Et ſiquando contra tales actionem inſtituat pauper, adeo jus ſuum perſequi nequit, ut potius illi aut profugiendum aliquo, aut in carcere moriendum ſit: dives autem libere per omnia graſſatur, quia judices auro corrupti ſunt; ut etiam plerumque pretio aut favore judices facti ſunt: quod ut plurimum

in parvis opidis fieri conſuevit; quod ſane longe pernicioſiſſimum eſt principatibus. Vix enim fieri poteſt, ut judex corruptus donis, probe officio ſuo fungatur: nam, (DEO ipſe aſſeverante) munera oculos etiam ſapientum perſtringunt. Quod illum facturum credibile eſt, qui munus judicandi mercatur, intratque in illud non ut in campum ſpinis obſitum, ſed tanquam in meſſem fertiliſſimam & abundantiſſimam? Idcirco hoc quoque, quamvis diverſum ab hoc propoſito ſit, admoneo ſtudioſos politicæ, pro certo habeant, illum qui officia vendit, velle ut miniſtri ſui fures fiant. Ludovicus XII. Galliarum rex dicere ſolitus fuit, quod illi, qui officia pretio emunt, idem faciant quod mercatores, qui parvo pretio univerſum emunt quod poſtea magno particulatim vendant. Sed, ut ad rem redeamus, etiamſi dives multum ſervis ſuis largiter alendis & ornandis impendat, parum tamen hoc remp. juvat, imo huic potius damno eſt: Primo, quia illos ſibi ſoli devincit, facitque, ut ſe contra quemvis, etiam ipſum regem, ſequantur; id quod Spurius Melius Romanus contra patriam ſuam conatus eſt. Hoc ipſum metuentes Veneti, ſine numeroſo famulitio degunt. Deinde quia illos reddit molles & effœminatos, adulatores,

ſuper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſuperbos lenones; eoque quaſi ſeminarium fundat hominum viliſſimorum & inertiſſimorum, qui poſtquam uxores duxerunt, aſtutiis ſuis homines vulgares opprimunt, & improbitatis ſuæ virus longe lateque propagant. Hac ratione Pontifices inducti ſæpenumero Prælatis ſuis interdixerunt uſum plurium ſervorum, ubi quidem interdictione illa minus opus fuit: nam etiamſi revera ſervi illi boni non ſint, in tali tamen loco ſaltem ſe bonos ſimulare coguntur, ac proinde minus dant ſcandali. Quare, regis eſt introducere æqualitatem, coërcendo numeroſa illa ſervitia. Præterea, indulgeat, ut plebeii decennium integrum, dimidium ſolum tributi ſolvant; à baronibus vero & aliis artificibus alterum dimidium poſcatur. Tum etiam leges & artes, de quibus ſupra, ubi de baronibus & uſurariis ſermo, verba feci, vocentur in uſum. Sed, quia omnes nationes Hiſpanos exoſæ ſunt, præſtat, regem conjugiis eoſdem amabile reddere, nec non inſtitutione ſeminariorum militarium, in quæ reciproce diverſarum nationum milites recipiantur ac ſuſtententur: ſic enim Rex exercitum habebit tum copioſiorem, tum temperatiorem ac generoſiorem: quemadmodum videmus caſtaneas aliis arboribus inſertas meliores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

fructus edere. Idem Deo ipſo in more poſitum eſt facere, qui ut nobilitet humanum ſemen, ſæpe homines Septentrionales Auſtrum verſus transfert: quod quidem etiam ob alias cauſas facit, quæ nobis præter unam illam atq; alteram ſunt incognitæ. Deinde rex Hiſpaniarum hoc agat, ut non tantum ſubditi mutuo amore coaleſcant, ſed etiam, ut ipſe quoque à ſubditis deametur: quod conſequetur promulgando leges utiles, multiplicando ſubditorum numerum, relaxando iis tributa, æqualitatem ubique introducendo, denique non omittendo etiam illa, de quibus ſupra. Cum autem nihil tam exitioſum ſit Regi, quam ſi odium ſubditorum in ſe concitet; unde fere conjurationes contra ipſum & contra ſtatum ſuum oriuntur; expedit, ut omnes cum ipſo ejuſdem religionis ſint: nam nihil tam homines inter ſe diſcordes reddit, quam diverſitas fidei. Id quod Gallia ſuo malo experta eſt. Verum hic requiritur, ut princeps duo extrema, Simulationem ſcilicet & Superſtitionem, vitet. DEVS eſt veritas, & vult in veritate coli, atque animo ſimplici adorari. Efficiat ergo Princeps noſter, ut pium ac religioſum ſe præſtet ſine hypocriſi, (quæ Tiberio Cæſari multum obfuit,) & ſine manifeſta mollitie. Verum nihil principem tam com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

commendat populo, quam domeſticæ & militares illius virtutes, quæ omnes omnis generis ſubditos illi fideles efficiunt; cum ſint fundamentum omnium principatuum. Nam, ſicut elementa, & corpora ex his compoſita, motionibus cæleſtibus ſine ulla tergiverſatione obſecundantur, ob naturæ præſtantiam illis ingenitam; & inter revolutiones ipſarum ſphærarum cœleſtium inferiora ſuperiorum motum ſequuntur; ſic homines lubentes ſe ſubmittunt Principi, in quo eximiæ virtutes elucent. Nam ita comparatum eſt, ut nemo inferior ſuperioris ac præſtantioris imperium detrectet. *Æterna quippe naturæ lege receptum eſt, ut inferiores præſtantioribus pareant, & vinculum fidei eſt* (inquit Livius) *melioribus parere*: & *patienda meliorum imperia*, ait alter ille. Et Ariſtoteles naturalem rationem expoſcere ait, ut ingenio & judicio præſtantiores minus præſtantes regant. Virtus igitur in Principe emicans amorem illi conciliat; præſertim ubi oſtenderit, ſe ſubditos ſuos amore paterno complecti, admittens illos ad colloquium & aſpectum, inſpicienſque rationes miniſtrorum inferiorum; pronioreſque aures pauperibus quam divitibus præbeat; ipſeque per ſe ignoſcat & præmia det, pœnas vero & ignominias

per

per alios infligat; ſupprimatque uſurarios & barones illos mercenarios, de quibus ſupra; immunemque ſe ab omnibus flagitiis exhibeat, faciatque ſe per religionem & aſſeſſores religioſos venerabilem, ſanctèque amandum propter ſtrictiſſimum vinculum quod ipſi cum Papa & Eccleſia intercedit; imiteturque per omnia Davidem, Conſtantinum, Theodoſium, Trajanum, Auguſtum, Martianum, Carolum Magnum: qui omnes dictis virtutibus & ſcientiis præditi felicius imperarunt, quam Iulianus, Fridericus, Henricus, Tiberius, Nero, & Philippus cognomento Pulcher, qui plane diverſam à Carolo Magno viam inſtitit. Præterea ſubditi honore & præmiis ad æmulationem virtutis & ſcientiarum invitentur, unde novæ ſcientiæ inveniuntur. Luſus in Hiſpania multum adjumenti affert, ut plebs à curioſitate rerum ad Statum pertinentium divertatur, vel etiam ut facultatibus ludendo perditis militatum abire cogatur: verum cum iſta perditio ſit cauſa rapacitatis, avaritiæ, odii ſociorum, amoris pecuniarum; plus nocumenti iſta ludendi techna affert, quam emolumenti. Quare præſtat, ſuos inter ſubditos ludicra certamina, & velitationes ſcientificas; inter extraneos vero luſus chartularum & teſſerarum, adhibitis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ad hanc rem illorum legatis, inſtituere, quo illi in ignavo otio marceſcant: quin etiam proponantur illis quæſtiones mathematicæ, philoſophicæ & politicæ, ut ab hæreſibus avocentur. Optime fecerit Rex, ne quis contra ipſum conjuret, ſi bonum, venerabilem & juſtum ſe exhibuerit. Defectus primæ illius virtutis exitium tulit Neroni & Acciolino; ſecundæ, Sardanapalo, & Vitellio; tertiæ vero, Philippo regi Macedonum, qui juſtitiæ adminiſtrationem Pauſaniæ denegavit, & ob hoc ab eodem trucidatus eſt. Inæqualitas etiam ipſam Romam perdidit. Si unus aliquis ſolus Principi inſidias ſtruat, non aliud occurrit remediũ, quam ut obſerventur & excutiantur omnes qui ad Principem intrant, ne arma occulta ſub veſtimentis inferant: nam inſidiæ ab uno ſolo paratæ difficulter vitari queunt. Vnde Henricus III. rex Galliæ, rex Moab, & Philippus Macedo à ſingulis interempti ſunt: primus propter religionem; ſecundus, propter ſævitiam; & tertius, propter juſtitiam denegatam. Sin plures ſint qui Principi inſidias ſtruunt, fieri non poteſt, ut, ſi intra decimum quintum aut vigeſimum diem in effectum deductæ non ſunt, aut niſi conjurati amore iuſtitiæ, pietatis, aut publicę utilitatis ad hoc proceſſerunt, ſitque conju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ratum contra Tyrannum, & à viris ho-
neſtis tantummodo;ut,inquam,non de-
tegantur: nam quilibet laborat, opera
principis utcunque ſaltem tolerabilis e-
mergere, dum illi aperit inſidias. Hinc
conjuratio Abſalonis contra Davidem,
& Catilinæ contra Patriam detectæ ſunt,
quia conjurati ipſi neutiquam meliores
erant iis contra quos conjuraverant. Per
ſervos itidem conjurationes facile& cito
deteguntur, ſi non propere in actum de-
ducantur: ſicut illa Laurentii de Medicis
contra ducem Alexandrum plus una no-
cte non fuit ſuſpenſa. Quando contra ſæ-
viſſimum tyrannum aliquem homines
honeſti conjurant, etiamſi illi cuncten-
tur, tamen nullum periculum ſubeſt, ne
palam fiat: atque propterea conjuratio
Iohannis Procidæ & baronum Siculo-
rum contra Gallos & Carolum Andega-
venſem, qui incolas miſere affligebant,
plus quam integrum annum celata fuit,
conſciis etiam Imperatore, Papâ, & Pe-
tro Arrogonio exteris: cujus rei unica
cauſſa fuit, quod viri nobiles, & quorum
interfuit, contra exteros & tyrannicos
regentes idem machinarentur. Similis
fuit conjuratio inita à Ioida & Levitis
contra Athaliam. Plerunque tamen etſi
pauci quidem ſint qui conjurant, atque
id contra improbum, ſi propoſitum non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

confeſtim executioni mandant, propalatur: quod probat conjuratio contra Neronem inita, in quam quidem & ipſe Seneca condeſcendit; & contra Coſmum de Medicis ab Impiis Strozzis facta, qui illo multo pejores fuerunt. Quod ſi aliquis ſolus ad principatum aliquem aſpirans, aſſeclis ſuis perſuadeat, ſe aliud moliri, & interea illorum amorem in ſe derivat, hic certo potietur auſo. Sic Cæſar viam ſibi ad Imperium ſtruens, id clam animo ſuo abſcondit, ſolitus, etiam adoleſcens, dicere, Si violandum eſt jus, regnandi gratia violandum eſt: fecitque ſibi hujus conatus duo fundamenta, religionem videlicet, & amorem militum, quibus demum in fine voluntatem ſuam ſub alio prætextu patefecit. Contra Catilina idem conatus, omnes conjuratos conſcios & participes fecit nullum ſibi prius fundamentum ſingulare jaciens; qua de cauſſa etiam, magno ſuo malo fruſtra fuit. Cujus exemplo Cæſar edoctus, cautius illud idem aggreſſus eſt. Rex itaque animos ſubditorum, & miniſtrorum ſuorum, quomodo erga ipſum affecti ſint, quid agant vel inſtituant, diligenter exploret: & ſi animadvertit, quidnam deſideretur, ipſis mox ſatisfaciat: quin & muneretur clam & ſine ſuſpicionis metu præcipuum aliquem ex ipſis inſi-

diatoribus, qui hoc modo delinitus ipſum faciat certiorem de omnibus quæ à ſubditis ſuis geruntur. Si nuncietur ipſi, eſſe quoſdam, qui palam multos menſes ante conjurarint contra ipſum; irrideat licet. Nam qui talia ad eum modum moliuntur, aut ſtulti, aut rerum ignari ſunt, aut denique qui talia deferunt, falſarii ſunt, talia fingentes ut regis gratiam aucupentur. Sic olim Perſeus fratrem Demetrium falſo detulit initæ conjurationis contra patrem Philippum regem Macedoniæ. Et tempore Tiberii & Neronis quotidie extiterunt, qui alios falſo accuſarent ob crimen læſæ majeſtatis. Quod ſane perquam flagitioſum: nam hoc pacto ipſe princeps & ſuſpicax fit, & ſuſpectum ſe reddit; adeo ut ſubditi id, quod ſuſpicatur ille, aut vere committant, aut innocentes ultimo ſupplicio afficiantur; quod utrumque regi pernicioſum eſt. Quin potius diſſimulet ſi non probentur ejuſmodi accuſationes, quamvis veræ, modo ad ipſam religionem non pertineant: nam hoc faciendo probat ſe juſtum & bonum, planeque indignum cui tales ſtruantur inſidiæ; ipſique conjurati abjiciunt pravam opinionem quam de illo conceperunt. Interea ſubditos rebellionis & conjurationis ſuſpectos reddere, pejus eſt cauſſâ non probata: nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

illi infamiæ metu inducti rerum mutationem deſiderabunt, & inimicis via ad invaſionem ſternetur: quod ſæpiuſcule in Belgio & Gallia accidit. Et quamvis ſpes lucri alicujus inde affulgeat, ſcilicet quod occaſio inde ſumi poteſt, populum arctius frænandi; quam modo dictus Coſmus ſcite apprehendens, pacis conditiones cum Florentinis initas rupit; & Rex noſter hac occaſione frænum attraxit Arragonenſibus, inſimulans illos conſpirationis cum Antonio Perez initæ: tamen revera plus damni quam emolumenti inde exiſtit. Proinde magis ſtabilire & confirmare principatum ſibi poteſt, ſi mutuo amore & beneficentia populum deliniat, ne ſuſpiciones ejuſmodi de ipſo concipiat. Quid? quod & populi ipſi aut illorum poſteri memoriam infamiæ talis conſervant, & in tempus opportunum rejiciunt, quo oblato, extraneorum ope palam defectionem meditantur; adeoque profecto his artibus conjuratio non aufertur, ſed differtur. Hinc Nero ex prima conjuratione & damno populi utilitatem privatam ſperans, non ſuſtulit, ſed diſtulit conjurationem, quam poſtea ſenatores cautius repetiverunt: id quod Tiberio quoque & aliis ſceleratis contigit. Quod ſi ergo ejuſmodi quid contigit, beneficiis potius

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quam ſuppliciis memoriam rebellionis oblitteret, ſimul ſubditis tali prætextu frænum injiciens, & nihilominus benignitate illos demulcens. Adeo nempe bonitas principis omnibus locis & temporibus præſtantior eſt quam aſtutia. Equidem verum eſt, conjurationem periculoſiſſimam eſſe, cui novæ religionis invectio immixta eſt, aut cum ſeditioſus aliquis concionator ipſum ſtatum ſuggillat. Quare erit nobis aliquid de concionatoribus probis & improbis, & poſtea etiam de regnorum regionumque unione & diſcidio, & quæ huic materiæ conjuncta ſunt, diſſerendum. Pœnæ & rigidiora in conjuratos exempla ſtatuenda, ſi fieri poteſt, ſimul & ſemel executioni mandari debent; ne iis ſæpe repetitis odia identidem recrudeſcant: quin ſi poſt aliquod temporis intervallum profugi humilientur, non iis plane veniæ & reconciliationis ſpes præcludenda eſt. Ne barones conjurent, fiat ut ſupra. Hæreſis nulla niſi per Clericos incrementa ſumet, ut demonſtravi alibi. Proreges, ſeu Vicereges, nullum imperium in arces munitave oppida limitanea præſidiis inſeſſa habeant: ſed ea particularibus ſuis Caſtellanis credantur; viris militiæ gnaris, quibuſque aliquid cum Viceregibus ſimultatis intercedat. Hi è Baronibus

regni ſeligantur, quo eorum baroniæ aut dominia velut pignora ipſorum fidei Regi ſint. Hoc fine Hiſpani in Italiam, & viceverſa Itali in Hiſpaniam, ubi iſtis partibus fungantur, ſunt mittendi.

CAPUT XVIII.

De Concionatoribus & prophetiis.

CErto conſtat, populos, tot præcipue regnorum, plus poſſe, quam ipſum regem cum amicis & militibus ſuis: in orbe, inquam, Chriſtiano ſcilicet; quamvis id in Turcia adhuc incertum ſit. Idcirco neceſſe eſt, cauſas aliquas in medium producere propter quas populus contra regem ſuum non ob quamvis cauſam inſurgat, & jugum excutiat: illæ vero ſunt, ſi populi illi diverſi minus ſint coaliti, aut ſi viles ſint, nec caput ad rebellandum habeant, in quod confidentiam & ſpem ſuam ponant. Iam vero manifeſtum eſt, cauſſas quietis publicæ à prudentibus Eccleſiaſticis & concionatoribus originem ducere, quibus apud ſuos fides eſt; eoque magis, quod illis bona æterna ſpondent, quæ, ſpernendo temporalia, acquirere poſſunt; dicentes, Voluntati divinæ congruum eſſe, ut regi obedientia præſtetur; quodque ferendo afflictiones præmia ab ipſo DEO obtinebunt: ſimulque humilitatem illis cum

cæte-

cæteris virtutibus inculcantes, graviterque comminantes latronibus, homicidis, ſcortatoribus & ſeditioſis; præmonſtrantes item ſupplicia, quæ illis ab hominibus, ipſoque DEO imminent: contra vero bonos conſolantes, iiſque fœliciſſima quæque promittentes. Ita fiet, ut eorum verba pronis auribus accepta auditorum animos vincant. Sic ſceleſtiſſimus quiſque quatietur foras cum ſua perfidia; nec magiſtratum aut militem, penes quos omne robur, perverſis ſuis moribus inficere poterit, nec ullo modo ad rebellionem impellere. Ergo primum inſtrumentum bene imperandi, lingua eſt; ſecundum vero gladius: hocque ex vitio illi oppoſito optime omnium dignoſci poterit. Nam ubi prædicatores aliquot ſeditioſi contra Regem inſurgunt, populos diſſentientes in unum cogent, ſeditioſiſſimo cuique animum addent, ſeque ipſos anteſignanos & duces ſeditionis facient: quod principes ſæpe ad incitas redegit, & quod plus eſt, vita ipſa privavit. Hujus rei exemplum eſt Mahumet, qui populum concitavit contra Heraclium Imperatorem; item Calvinus & Lutherus, qui contra infinitos principes: & hi plus mali lingua ſua operati ſunt, quam aut Marcus Sciarra aut Ninus Martinus machæra. Contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

vero Menenius Agrippa plebem Romanam tumultuantem ſola lingua compeſcuit, Senatuique, à quo turpiter deſciverat, reſtituit. Papa ſæpe per prædicatores rebelliones gliſcentes compeſcuit; imo Imperium Occidentale ſtabiliit; ſanctæque linguæ ſuæ ſuadela Attilam ab Italiæ ruina divertens, domum redire coëgit. Sed & Achab lingua Eliæ peſſundatus eſt, & Roboam Achiæ. Quamobrem concionatores ſacri in magna exiſtimatione habendi ſunt, præſertim ſi boni viri ſunt; & miraculis, atque validis rationibus, id quod dicunt, confirmare queunt: ſicut Moyſes contudit Pharaonem, Papa Imperatores Fridericum, & Henricum, & imperator Conſtantinus perfecit id quod divinitus inſpiratum conceperat. Quare profecto tumultus excitari poſſunt eloquentia illorum, qui authoritate apud populum valent, atque dignitate: iſtos vero revereri par eſt, ſive boni ſint, ſive mali, amicitiaque illorum expetenda. Nam ſi tales boni fuerint, divina autoritate adeo pollent, ut nec obſiſti illis poſſit. Adſpice Samuelem, qui Saulum ſolio impoſuit, rurſuſque depoſuit, electo Davide. Papa vero quid ejuſmodi non inſtituit, valuitque? Nam ſumma authoritas cum concionibus conjuncta plus fidei obtinet.
Epi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Epiſcopi vero hic plurimum poſſunt, ſi ipſi concionatorum munere fungantur. Iohannes Chryſoſtomus quantum obfuit furiis Eudoxiæ Imperatricis, ejuſque aſſeclis! Divus etiam Bernardus ipſis Cardinalibus & Pontificibus Max. formidabilis fuit, diremitque aut uniit principes & ſubditos ſuo arbitratu; quod Epiſtolæ illius ſatis teſtantur. Et mihi quidem videtur, quod ſi omnes principes & populi omnia ſua auxilia conferant ad ſolvendum Papatum, nihil tamen efficient: ſiquidem Chriſtus hoc quoque Eccleſiæ ſuæ ſpopondit, Quicquid ligaveris & ſolveris, &c. &, Portæ inferorum non ſuperabunt eam. Quod ſi expeditio crucigerorum ſaltem unica indiceretur, omnes ubique religioſi, quorum multæ ſane milliones, ad arma provolarent, mundo univerſo lingua gladiiſque reſtituri ac terrorem incuſſuri: neque enim populi contra homines ſacros arma inferre eſſent auſuri; atque ſi non omnes, maxima tamen pars illorum ſuccubitura, cæteri vero ſic exterriti animum remiſſuri. Vide ſis Moyſen, qui ſolus cum Levitis & ſacerdotibus arma contra populum Iſraëliticum rebellantem induit, & contra principes, qui cum uxoribus ſuis millionem numero exceſſerant, & armis unius tribus ſacerdotalis

trige-

trigeſies ter mille homines una die trucidavit, reliquoſque in rectam viam reduxit. Nam ubi vera religio ſimul cum prædicatione arma induit, nulla potentia tanta eſt, quæ illi poſſit obſiſtere. Romani quam primum vim novæ religionis Chriſtianæ perceperunt, arma illico contra illam corripuerunt, trucidanteſque & vincentes, paſſim tamen ſuccubuerunt: adeo ut & ipſi tandem ſub Conſtantino Imperatore Chriſtianam fidem amplexi ſint. Atque etiamſi Epiſcopus ipſe aut Papa ſceleratus ſit homo; tamen princeps gladium in illum ſtringens vincetur etiam vincens: id quod in Rogerio Guiſcardo rege Neapolitano manifeſtum factum eſt, qui prælio vincens, Papæ pedibus tamen oſculum figere coactus fuit. Cujus rei remedium reges quidam, inter quos Henricus VIII. rex Angliæ, ſe reperiſſe credentes ad apoſtaſiam confugerunt, nihilo tamen minus & ipſi perierunt: hocque ipſum Hiſpaniæ certiorem ruinam adferret, ut ſupra innui. Alii utile fore rati ſunt, ſi Papas in vincula conjicerent, id quod Philippus Galliarum rex in Bonifacio VIII. auſus eſt: atque Imperator Arcadius Sanctum Chryſoſtomum in exilium pepulit. Quod utrumque utrique exitioſum fuit: nam Chryſoſtomus majori authoritate in integrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tegrum reſtitutus eſt, Guaina Gothorum rege arma contra dictum Imperatorem ſumente; qui tamen Guaina nec ipſe in Eccleſia ſalvari potuit, quoniam religioni Chryſoſtomi adverſatus fuerat. Et Galliarum Rex, cum per Bonifacium ut Papa Gallus eligeretur, effeciſſet, ſperans hoc modo peccatum ſuum inultum manſurum, fovit diſſidium in Eccleſia tunc ortum, electumque Clementem V. Avenionem habitatum miſit, ſed fruſtra: nam ille ipſe Clemens conſilio Cardinalis Bratei, eluſit regem ſuum, non ſervans promiſſa illi data: & ex illo quidem tempore regnum Galliæ ſemper ad occaſum vergere viſum eſt; ut ex Hiſtoriis apparet. Profanum ergo remedium eſt, in perſonam ſacerdotis manum extendere. Alii Anti-papas elegerunt, ſicut Dux ille Bavarus; quod ipſos pejus afflixit. Alii Epiſcopos & Papos pravos, inimicos ſibi, ad Concilium generale provocarunt; quod ipſum inventum Papa deluſit: præcipue ex quo manifeſte declaratum eſt, Concilium nihil poſſe ſupra Papam; interdictumque, ne ullum Concilium niſi à ſola Papa congregari poſſit. Quam ob cauſam Leo X. Cardinales, qui Piſano conciliabulo interfuerunt, perdidit; neque principes, illorum amici, obtinuerunt id quod voluerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Eccleſiaſtici principes ſemper ſapientiores fuerunt ſecularibus. Alii, cedendo & ſubmittendo ſe, huic malo medelam invenerunt; ſicut Theodoſius Imperator humiliavit ſe coram Ambroſio bono Paſtore, & Gothorum reges omiſſa Roma Ravennam petierunt, locum dantes Papis tam bonis quam malis. Et rex ille Angliæ, cujus juſſu epiſcopus S. Thomas nomine interemptus eſt, pacis conditiones cum Papa inire quam regnum perdere maluit, ſolvitque Papæ annuatim quadrageſies mille marcas auri, teſtamentoque Papam regni ſui hæredem reliquit. Horum ad exemplum regi Hiſpaniarum convenit cedere Papæ, ſive bonus ſive malus ſit, cauſaſque ſuas, ſi quas habet, differre, Epiſcopoſque inimicos ſuos, Papæ caſtigandos relinquat, uniens ſe cum illo modis ſupra dictis. Alexander rex Iudæorum in odium Phariſæorum adductus, moriens uxori (ut teſtatur Flav. Ioſephus) ſuæ ſuaſit, ut ipſum de feneſtra præcipitem det, ſatiſfactura illo modo iræ Phariſæorum, qui illam ubi hoc fecerit, in regno ſuccedere permiſſuri ſint: prædicens etiã, ut caveat inimicitiam cum ullis religioſis hominibus habere, ne idem, quod ipſe, patiatur. Sed ſi homines qui nulla auctoritate ſuperiori nituntur, præcipue eccleſiaſtici,

qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quales fuerunt Arrius, Savonarola & Lutherus, contra aliquem ſtatum inſurgunt, id vero pernicioſum eſt: tumque videndum, utrum tales homines Papam adjutorem ſibi habeant vel non: ſi enim habeant, neque ille contradicat, tum malum propemodum incurabile redditur: ſin vero non habeant, remedium eſt præſentiſſimum. Nam hic requiritur, ut introſpiciatur, bonine an mali illi ſint (nam ambo exitiales ſunt:) mali autem eradicandi ſunt authoritate Pontificali: boni vero ad Synodum generalem citandi, authoritate Pontificis etiam interveniente, ut palam vincantur; ſicut Berengarius convictus erroris locum dedit veritati, ceſſitque; hocque fieri debet, ſi vere boni, & non hypocritæ ſunt. Verum ſi bonam cauſam foveant, emendandi ſunt errores, in quos illi in concionibus ſuis invecti ſunt, mittendique ipſi ſunt Romam, ut ibi ætatem exigant; ſicut Bartholomæus Miranda Archiepiſcopus Toletanus, & Epiſcopus Curzolanus à Venetis expulſus. Quod ſi laici ſint, ut Johannes Leidenſis, & Philippus Melanchthon, nihil mali ab illis timendum eſt: nam hi duo poſt rupturam à Luthero jam factam demum ſurrexerunt, & poſtquam ille prior jam erroneam religionem ſacerdotiumque in Germania ſtabili-

biliverat. In noſtris autem regionibus nemo quiſquam laicus tale quid patraret ſine auxilio Clerici alicujus. Regula eſt infallibilis; nullam unquam hæreſin terræ cuiquam nocuiſſe, niſi ipſe regionis Princeps ob rationem Status tali hæreſi patrocinium præſtiterit; quemadmodum in Monarchia papali oſtendi. Igitur præcavendum eſt Principi, ne nobiles quoque ſui illa hæreſi inficiantur, nempe aliis negotiis illos occupando & reprimendo, prout ſupra præſcripſi. Hæ vero regulæ contra prædictos hæreticos diligenter obſervandæ ſunt, ne cum illis de argutis Theologiæ quæſtiunculis in arenam deſcendatur, ſed ut jubeantur ſolum vocationem ſuam docere, ac nomina authorum ſuorum edere, ita: Quis vos juſſit hæc publice docere? ſuntne illi diaboli an homines, quod minime credendum? Si vero Deus hoc fecit, oſtendant id per miracula, qualibus ille legatos ſuos, Moiſen ſcilicet, Apoſtolos, & Eliam, munivit. Quod ſi hoc præſtare nequeunt, exurantur licet, ſi potes, atque infames reddantur. Diſputationes Grammaticales, & argutiæ Logicæ vitentur, ſed Divina Logica obſervanda eſt; id quod S. Franciſcus in Ægypto fecit, & S. Iohannes Guidalbertus, egoque ipſe probavi in meis dialogis contra Lutheri &

Calvini

Calvini ſectatores, docens, quomodo illi Apoſtolico & Politico more convincendi ſint, ne verboſitate futili lites ex litibus procreentur, quod perverſis ingeniis victoriæ inſtar eſt. Damnentur etiam rogo ex conſtitutionibus Imperialibus; quia virorum in authoritate conſtitutorum famam & bona lacerant, qualis eſt Papa, & alii religioſi ac pii, qui fidem ſuam Eccleſiæ approbarunt & ſanguine ſuo obſignarunt, quod quidem omni theſauro pretioſius eſt; proinde qui talibus refragatur alioſque ſeducit, merito puniri debet. Altera regula eſt, dare operam, ne talis germinis homines exoriantur: ad quod præpediendum expedit, viros ingenio præſtantes epiſcopatibus & beneficiis decorare; cogitandumque tibi eſt, quod tales, ſi boni, utiles tibi futuri ſint, nec unquam peſtiferas opiniones ſparſuri; quales fuere Cato & Socrates inter Gentiles, Sanctus vero Bernardus & Thomas inter Chriſtianos fuerunt. Reperire etiam eſt alios viros bonos, in utramque partem plurimum valentes, quales fuerunt apud paganos Alcibiades & Coriolanus, qui patriæ ſuæ multum profuerunt & obfuerunt, prout res & occaſio tulit: apud Chriſtianos vero Lutherus & Sergius, qui poſt quaſi per palinodiam recantarunt quod antea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

recte prædicarant. Quare doctis omnibus faventem & gratioſum ſe præſtet Rex, dum ingenium illorum introſpici nequit; detque operam omnibus modis, ut ſciat, quinam in ſua regione doctrina alios ſuperent, illoſque ad ſe pertractos in ſuis negotiis occupatos reddat, ante illos beneficiis demulcens, quam ipſe Papa, inſtigetque illos contra infideles. Vnus ſolus monachus totam Angliam ad fidem Chriſtianam convertit: & Carolus Magnus ſummus virorum & religioſorum doctorum lingua valentium fautor, Gothiam, Norvvegiam & Daniam cum magna parte Germaniæ illorum opera acquiſivit; ipſoſque ſummopere remuneravit. In acquiſitione Mundi Novi religioſi plus præſtiterunt quam milites. Idem etiam præſtari poteſt in China, Æthiopia, & Perſia. Quare ſcientiæ novæ introducendæ & ſectæ Phyſicorum in medium revocandæ ſunt, una cum diſciplinis Mathematicis: tum & lingua Arabica (poſtquam Hebræorum & Græcorum imperia abolita ſunt) ut Turci illius beneficio erroris convincantur. Inſtituantur item congregationes religioſorum, ſapientum itidem laicorum, ad deliberandum de rebus ad ſtatum pertinentibus; ut ingenia illorum in harum rerum meditatione diſtineantur, ut tibi ſoli ſerviant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

viant, nec damno ſint; ambitionem videlicet ſuam omnem in tuum favorem, & non contra, oſtentantes; detque operam ut multos hujus generis eoſque probos habeat. Nam ſi maxime multi, ac tales ſint, quales fovit Ieſabel; illos omnes unus facile Elias, utpote bonus, contriverit, ad nihilumque redegerit. Etiam Antiochus ſcholas Græcas Hieroſolymæ inſtituit, ſcilicet ut aboleret ſalutarem doctrinam Moſaicam; verum incaſſum; quandoquidem Macchabæi ſe illi oppoſuerunt. Ad hunc modum multæ Chriſtianæ Catholicæ ſcholæ aperiendæ ſunt Regi, idque contra religionis inimicos: nam quando hoc facit, & à Papa, & ab inimicis ſuis ſecurum ſe præſtabit, ſimulque ſubjiciet ſibi Belgium; ſicut ſupra demonſtravi. Sed nec hoc prætermittendum eſt, ut ſcilicet per omnes provincias collegia inſtituantur, in quæ omnes ingenioſi pueri deducantur: quique tales ſint ex præceptoribus primorum rudimentorum & Grammatices ſciri poteſt; & ſelecti illi ex omnibus ſcholis, Regis ſumptibus alantur & educentur, fiatque ex illis novus ordo, ut S. Dominici, dicaturque Ordo Auſtriæ: & poſtquam decimum octavum annum attigerunt, jubeantur ſuggeſtum conſcendere, & conciones ad populum habere; vocenturque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tales, Prædicatores regii, & ablegentur partim in Germaniam, partim in Angliam: qui ſi re bene geſta domum redierint, ornentur Epiſcopatibus regiis, qui nomine juris patronatus veniunt: nam hoc faciendo ſecurum ſe ipſum reddet à Papa, & adverſus perfidos concionatores & hæreticos, & regias impenſas conſument illi tantum qui illius commodis inſerviunt. Neque verbis exprimi poteſt utilitas quæ inde proventura eſt. Nam inter hæreticos nulli à veritate longius abeunt, quam cujuſdam Calvini diſcipuli, qui belli ſemina ſpargunt quocunque vadunt, pacemque ab Angelis annuntiatam, & à Chriſto ipſo prædicatam, profligant; & quandoquidem nec doctrinæ rationem, nec authoritatem Sanctorum habeant, ſectam ſuam unice armis Turcarum ritu defendunt. Hic opus eſt medicina quæ quidem efficaciſſima ſit contra hoc genus hominum. Illa vero eſt, Obſtare principiis; quod quidem in omnibus malis obſervandum eſt; & poſt demum remedia ſuperius adducta applicanda: in convertendis illis ſcilicet: ad quod boni & ſeduli operarii adhibendi ſunt, qui doctrinæ puritate, & vitę ſanctimonia alliciant atque reducant oves illas errantes à veritatis via. Reges Luſitaniæ, in primis vero Iohannes III. in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

India collegia & ſeminaria erexerunt, in quibus magnus numerus adoleſcentulorum omnis generis ſub diſciplina Patrum è Societate Ieſu educatur: qui etiam Germaniæ & Novo Mundo hoc modo plurimum profuerunt. Nam civitates Germaniæ in quibus illi Patres vivunt, ſemper perſtiterunt in fide, & illæ quæ hæreſeos veneno jam infectæ ſunt, illorum ope ſanantur. Quod ſi vero ſpes nulla eſt illos in veram viam reduci poſſe, ut dominio & doctrinæ noſtræ ſubjici velint; tum amplectendum eſt conſilium, quod Terentius Varro Hoſtilio dedit, ad Tuſcos in fide & pace continendum, ſcilicet efficiat ne poſſint excutere jugum, quantumvis etiam velint. Hoc autem tribus modis perfici poteſt; ſi viles, ſi debiles, ſi denique loco disjunctos illos reddat: nam audacia jactandi jugum proficiſcitur vel à generoſitate animi, vel à viribus, vel etiam à multitudine. Verum priuſquam à ſevera illa remedia veniatur, expedit plus quam verbis exprimi poteſt, ſi liberis infidelium adhibeantur magiſtri artium & exercitiorum liberaliorum, & ingenuo homine dignorum; ſic enim una eademque via parentes cum liberis nobis devinciemus. Paranda itaque, ut dixi, nobis ſunt ſeminaria linguarum & militiæ, futuri imperii inſtru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

menta: illa, ut ſubditi infideles & hæretici cum bona pace ad veram viam reducantur, & ad unitatem fidei; hæc, ut plane enerventur, atque omni potentia priventur, ſi ſponte ad veram fidem reduci nolint: de quo alibi locuti ſumus.

CAPVT XIX.

De regnis Hiſpanorum propriis; deque regnis hoſtilibus unitis & diſcordibus.

QVidam arbitrantur, impoſſibile eſſe, ut regnum Hiſpanicum diu perſiſtat; tum quia omnes fere ceteras nationes ſibi inimicas aut adverſas habeat; tum etiam quia regiones illius partim in Novo Mundo, partim per inſulas huc illuc diſperſæ ſunt, velut in Italia, Germania Inferiore, & Africa, quæ omnes diverſiſſimæ ſunt linguâ, ſitu & cæli temperie. contra vero Turca, qui imperium totius mundi ſibi vendicat, regna ſua arctiſſime copulata habet: & in acquiſitione aliorum dominiorum imitatur morem Romanorum, qui in orbem vicinos aggrediebantur. Neque odium inimicarum gentium illi obeſſe poteſt; quia educat penes ſe omnis generis liberos, quibus deinceps pro militibus utatur: & ipſius imperium fere nihil eſt aliud quam reſpublica militaris. Neque etiam religio illi obſtare poteſt, illiuſque præſides ab-

ſolutum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſolutum imperium habent, ita ut nec populos ſine armis degentes timeant, cum illorum ipſorum liberis in compeſcendis illis utantur. Qui magnus evadere Monarcha cupit, illum oportet omnes circum ſe habitantes populos uſque & uſque armis aggredi, & in poteſtatem ſuam redigere: ſicut Romani primo omnium Sabinos & Latinos bello aggreſſi ſunt; deinde Æquicolis, Pelignis, Vejentibus, Lucanis, Tuſcis & Samnitibus arma intulerunt, ſemper uſi circuitionibus, donec tandem ſubjugata tota Italia trajecerunt in Sardiniam, Siciliam, Hiſpaniam, Galliam, atque Germaniam. Idem factitarunt Babylonii in Aſiaticos, & Perſas. Macedones ſimiliter primo Thebanos, Epirotas, Laconas, cum Achæis & Ætolis bello adorti ſunt; deinde in Aſiam progreſſi, totam eam armis compleverunt: adeo, ut in fine, quemadmodum Livius & Plutarchus ſcribunt, gloria victoriarum ſuarum elati, etiam ad Romanos & Carthaginenſes perrexiſſent. Certe, niſi præmatura mors Alexandrum Magnum è medio ſuſtuliſſet, procul dubio etiam cum Romanis arma conſeruiſſet. Ajo Turcam idem hodie conati, quod olim maxima Imperia fecerunt: nam primo victâ Aſiâ Minore in Europam trajecit, & Græciam circumcirca vicit; po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſtea Syriam, Ægyptum, & Armeniam: donec tandem progreſſus eſt in Macedoniam, Epirum, & Hungariam. Vbi poſtquam provincias aliquot Chriſtianas ditionis ſuæ fecit, & Chriſtiani metu communi ad arma conclamantes contra illum ſeſe conjungunt, pacis mox conditiones vel inducias ſubdole ac inſidioſe cum iis pangit; interim vero dum Chriſtiani mutua ſua diſſidia armis finire contendunt, Turca quiete dominatur, & arma victricia in reges Perſarum aut Georgianos vertit: donec Chriſtianos rurſum inter ſe diſcordare videt; tum perinde cum Perſis aut aliis ſuis hoſtibus inducias faciens, omnes vires iterum in Chriſtianos convertit, eoſque quantum poteſt armis oppugnat. Et dum illi conſultando tempus terunt, Turca progreditur & modo hunc, modo alium locum in poteſtatem ſuam redigit. Tanta nimirum & tam pernicioſa ſunt odia illa inteſtina Chriſtianorum! Verum rex Hiſpaniarum uno eodemque tempore bellum cum pluribus gerit, nec unquam omnes vires ſuas in aperto campo conjunctas habet, quo ſe ipſum ſuo jugulat gladio. Proficiſcitur militatum in remotiſſimas regiones; cum tamen circumcirca in vicinia ſua hoſtes habeat Anglos, Gallos, Belgas, & forſan ipſos etiam Italos. Vnde videtur, ſibi ipſi
adver-

adverſas & parum utiles vias ad propagandum Imperium ſuum inire. Ad quod ego reſpondeo, concedendo hæc ex parte: nam ars Turcæ manifeſta eſt, qui vel uno ſolo adverſo prælio illoque magno devinci poteſt, ut ſupra innui, nullos regulos aut barones habens, quorum armis in integrum reſtitui poſſit. Quod de Rege Hiſpaniarum dici non poteſt: Nam Papa & Itali propter religionis communionem ipſi cito ſuppetias ferrent. Item ajo, illum nulla inſigni clade, niſi à grandi aliqua potentia qualem Turca habet, affici poſſe, qui cum longius remotus ſit, ſicut olim Alexander M. à Romanis fuit, tam ſubito illum obruere non poteſt: ſed contra, quævis concordia Chriſtianorum, ſolida modo & ſtabilis, Turcam totum opprimere poſſet. Deinde dico, etiamſi rex Philippus regna longe diſſita habet, tamen inimici ſui inter ſeſe ſunt ſejunctiſſimi; atque ob hanc cauſſam æmuli ejus Itali, Tuſci & Veneti nunquam facile contra eum conjurabunt, niſi prius data opera ab illo læſi & magna injuria affecti: nec enim Papa unquam fieri permittet, ut hoſtile quid in Regem Catholicum attentent: imo certum eſt, Principes Catholicos, propter metum ab hæreticis, & authoritatem Pontificis, hoc nunquam auſuros. Hæretici vero pluri-

mum inter ſe diſſident atque diſcordant: atque ob hanc cauſſam Germania in reſpublicas diſſecta exiguas, nihil nocumenti illi afferre poteſt; domuique Auſtriacæ & Archiducibus per Imperatores partim ſubjecta eſt; partim etiam Archiepiſcopis, qui ſimul & ſeculari potentia præſtant, quales ſunt Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Salisburgenſis, Argentinenſis & Bambergenſis; partim etiam ducibus Bavariæ: adeo, ut Proteſtantes hæretici nullo modo contra regem Hiſpaniarum inſurgere queant. Ipſa etiam Germania Inferior in plures reſpublicas dirempta eſt, quæ omnes adverſus regem Hiſpaniarum arma geſtant, at ſolum ut ſe defendant, non ut illum offendant. Ex horum numero ſunt Hollandia, Friſia, & Zelandia. Quid? quod Germania Inferior & Superior religione maxime diſſentiunt: quod idem de Danis quoque, Norvvegis, Tranſſylvanis, Gothis, Polonis, Gallis, Helvetiis & Griſonibus affirmari poteſt: ita ut nulla prorſus conſpiratio ab illis Regi timenda ſit. ſed, quod plus eſt, rex ſtipendiis numeratis magnam partem illorum in amicitiam ſuam pertraxit, & Rex Poloniæ & Dux Tranſſylvaniæ interventu conjugiorum & fœderum mutuam amicitiam cum ipſo colunt. Adeo ut à ſolo rege Gallia-

rum

rum & Rege Magnæ Britanniæ ipſi timendum ſit; qui per religionis diverſitatem nunquam concordes eſſe poſſunt. Etſi vero Rex Hiſpaniæ Gallias non potuit ſuam in poteſtatem redigere, ejus tamen haud parum intereſt, quod Rex Galliarum à Papa abſolutus ad Eccleſiæ obedientiam rediit. Nam alioquin omnium hæreticorum Tranſalpinorum caput factus, non ſine Regis noſtri & Papæ detrimento, in Italiam tranſiiſſet: quod nemo hæreticorum in hunc uſque diem auſus eſt; inopia ſcilicet ducis. Tum etiam in Gallia ſchiſma eſt inter Catholicos & hæreticos. Et quod præcipuum eſt, ſunt in regno illo multi potentes Epiſcopi, qui ruinam Hiſpaniarum haudquaquam deſiderant. Denique regis noſtri ſubditi non lanceis, gladiis aut equis concurrunt, quod Galli amant facere; ſed tormentis ignivomis & robore pollent, armis nimirum ad defendenda munimenta, non ad congrediendum aperto Marte, aptis. Vnde Galli conatibus Hiſpanorum obviam quidem ire poſſunt; opprimere vero illos non poſſunt: quia ipſi etiam Principes & Reſpub. Italiæ, qui ad hoc uſque tempus à partibus Gallorum ſteterunt, tranſirent ad Hiſpanos: ita videlicet ipſi duas has nationes in æquilibrio continuo conſervant, ne una

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

oppreſſa alterius præda fiant: id quod Hiero rex Syracuſarum inter Romanos & Pœnos aggreſſus eſt facere, ſed incaſſum. Item rex Galliarum in Hiſpanias, propter intermedia munimenta & arces ab Hiſpanis depugnandi peritis inſeſſa, tranſire non poteſt: neque Mediolanum aut Neapolin tam cito adoriri bello poteſt; ut non multo citius Hiſpani in Galliam cum armis irruant, illumque propere domum redire cogant, & proprium defendere regnum. Neque vero ille unquam in Italiam tranſgreſſus eſt, niſi adjutus à Papa; quod expeditio Caroli Andegavenſis teſtatur; aut niſi à Principe aliquo Italo vel Repub. eo vocatus, ſicut Carolus VIII. à Duce Mediolanenſi vocatus fuit. Quod hodie vix fieri poteſt. Verentur enim Itali, ne illi ſimul novam religionem inducant. Fieri etiam ſolet, ut ille qui primus exteros in auxilium ſuum vocavit, primus quoque ſuccumbat: neceſſe enim eſt, ut talis peregrinos milites hoſpitio excipiat, qui poſtquam vicerunt partem adverſam, adjuncta ſibi plebe expellunt etiam illum qui eos inexitium hoſtis advocavit. Hoc experti ſunt Vicecomites, Sfortii, Caſtrucii, Florentinique, cum multis aliis; & ipſe etiam Papa, quamvis authoritas Papalis illum in integrum reſtituit. Quare à rege Galliæ

non admodum timendum eſt Hiſpano. Minus vero ab Anglis; cum inſula illi concluſi ſint; & inſulani in continenti extero dominium ſtabilire raro ſolent. Hinc ſat illis eſt, ſuis frui, & naves ſolum prædatum emittere: cui tamen malo remedium mox afferam. Caveat ſibi tantum Hiſpania, ne Anglia claſſem ſuam cum Hollandicis, Scoticis, Danicis, Norvvegicis, Gedaniciſque conjungat: ſic enim totam Hiſpaniam invadere poſſent, ſicut olim Alani, Gothi, & Vandali. Quandoquidem tamen iſtæ nationes in religione diſſentiunt, & Rex Hiſpaniæ aſtute nova diſcordiæ ſemina inter illas ſpargit, non adeo timendum eſt, ne ſuas vires conjungant. Videamus jam, quid boni Hiſpania in ſe contineat, & quibus mediis major exiſtere poſſit; primo hoc fundamentum ſtatuentes: Omne dominium ſtabile neceſſario requirit naturalem ſocietatem inter ſubditos ipſos, deinde inter principem & ſubditos, tanquam in corpore humano membra cum membris & cum capite. Societas naturalis conſiſtit primo in marito & uxore, deinde in patrefamilias, liberis, & familia conjunctim; pluribus itidem familiis unitis; tum in iis etiam, qui vinculo conſanguinitatis aut affinitatis conjuncti ſunt; item in communi aëre, cœlique con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

conſtitutione; nec non in convenientia legum, morum, conſuetudinum, & ſtudiorum. Quo pertinet communis lingua, & unum idemque genus veſtitus. Nec leve ſocietatis vinculum eſt ipſa ſpecies ſeu humanitatis ratio, nimirum quod omnes homines ſunt: & ubi plura horum vinculorum concurrunt, ibi etiam firmior ſocietas initur, & dominium magis ſtabilitur. Hinc Itali cum Hiſpanis facilius coëunt in unum, quia alter alterius linguam intelligit, & ſimiles ſunt moribus, corporibus, & ritibus quod in Gallis non fit, qui lingua & moribus diverſis utuntur, ut taceam, quod diverſi quoque ſunt conſtitutione naturali. Sic Hiſpani facilius ſocietatem atque amicitiam contrahent cum Africanis quam cum Belgis, qui ab illis plurimum differunt. Nam Hiſpani ſunt natura calidi ac ſicci, eoque macilenti, ſtatura brevi, arguti, aſtuti & garruli; Belgæ vero, frigidi, corpulenti & craſſi, ſtupidi, & pauci ſermonis. Qui igitur diverſas regiones regere atque in officio continere vult, reddat illas, quantum fieri poteſt, ſibi mutuo ſimiles. Atque iſtam hominum unionem Deus ipſe Politiæ author homines docuit. Sunt autem tres unionis hujus ſpecies: Prima eſt animorum profecta à religione; quæ quidem omnium fortiſſima

eſt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

eſt; copulat quippe opinione nationes plurimum inter ſe diſtantes: ab hac dependet voluntas, & actiones: tum linguæ, & arma in hac uniuntur. Per hanc Papa dominatur Europæ, Aſiæ, Africæ, Americæ, &, ut uno verbo eloquar, omnibus Chriſtianis hujus mundi. Contra vero Imperator Germanorum ſolam Germaniam vix regere poteſt, quantumvis alias corporibus, veſtibus, armis, ritibus atque conſuetudinibus unitiſſimam, quod prima iſta unione Religionis deſtituatur: tam diverſæ enim ſunt inter Germanos opiniones, ut de illis vere dici queat: Quot homines, tot ſententiæ. Hanc ob cauſſam Angli & Helvetii unam tantum, aut ad ſummum duas religiones ſuis concedunt, ſicque fœlicius degunt: nam tritum illud, *Divide & impera,* hic locum non habet; at bene contrarium, *Divide & perdes*. Catharina Medicea, regina Galliarum, ut contra legem Salicam clavo imperii admoveretur, modo à Catholicorum, modo ab Hugenotarum partibus ſtetit. Verum hoc facto exitium ſibi & filiis peperit; quorum unus à monacho ordinis Dominici fuit interemptus. Quantum ad hoc attinet, Hiſpania feliciſſima eſt omnium regnorum; cujus regna quamvis ſitu disjuncta, religione tamen omnia conjuncta ſunt: atque hoc ipſo

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

etiam Turcæ præſtat, & omnibus principibus aliis, cum omnes ad unam fidem convertat, ut ſupra oſtenſum. Secunda unio eſt corporum; atque hac Turca cæteris omnibus præſtat, qui imperat Mahumetanis, Chriſtianis & Iudæis religione diverſiſſimis: quod rebus ſuis parum obeſt, quia filios illorum ipſe ſibi in ſpem militiæ educat; illos vero qui religione ab ipſo diſſident, enervat viribus, atque exarmat. Verum ſi illis partem reipub. ſuæ adminiſtrandam committeret, & non deſpotico, ſed politico dominio in illos uteretur, cito ad incitas ab illis redigeretur, exemplo multorum principum Germanicorum; aut ſaltem via illi ad dilatandum imperium intercluderetur, veluti Imperatori contingit ac regi Poloniæ. Si inter mancipia Turcæ quis orietur generoſa indole præditus, regno ejus forte interitum afferre poſſet: ſicut facturus erat Scanderbegus ille, ſi Chriſtianorum auxilium ad hoc ipſum potius promptum habuiſſet, quam nocumentum à Genuenſibus, qui in proprium ſuum atque Huniadis Vngari detrimentum quadragies mille Mahumetanis Aſiaticis pro totidem coronatis tranſitum in Europam vendiderant: quo factum eſt ut jam peſſumdatus Amurathes res ſuas reſtituerit; ita ut poſtea ope illius auxilii

dimi-

dimidiatæ Europæ dominus evaſerit. Omitto hîc dicere de Moyſe divinitus excitato contra Pharaonem; ad cujus exemplum contingere poteſt, ut Deus mancipium aliquod Chriſtianum contra ipſum Turcam excitet. Similis ejuſmodi diviſio exitium Hiſpaniæ afferre poteſt. Tertia unio eſt pecuniarum & facultatum, cujus vi Turca in Raguſienſes, alioquin liberos, imperium habet; qui tributum illi pendunt, quo bonis ſuis in illius dominio ſitis frui poſſint; tum quia nimium illi vicini ſunt; qualis vicinitas ſemper infirmiorem cuivis ſuperiori ſervire cogit. Per hanc tertiam unionis ſpeciem Rex Hiſpaniarum Genuenſibus dominatur, quoniam merces & baronias in terris illius habent ſuas. Vnde dico, regi qui dominia ſua ſejuncta habet, primo omnium laborandum eſſe, ut illa conjungat unione naturali, deinde vinculis politicis. Ad naturale vinculum quod attinet, Hiſpanos quamvis pleriſque omnibus nationibus odioſos, cum cæteris tamen conjungere poteſt: nam Hiſpanus cum ſervit ſatis humilis eſt, cum dominatur ſuperbus: eſt præterea etiam jactator, & aſtutus in rebus nauci, non vero in illis quæ alicujus momenti ſunt: ſatiſque etiam apparet, linguam modumque veſtiendi Hiſpanicum pleriſque om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

nibus placere;illorum autem modum agendi, faſtuoſoſque titulos, cum ambitione primum locum in conventibus occupandi, & affectato ac exquiſito nimis inceſſu, omnibus diſplicere. Et quia vitia hæc nationi huic natura inhærent, quamvis virtutes illorum, patientiam ſcilicet, religionem, maſculamq; magnanimitatem cum eloquentia maculent; tamen illa omnino tolli non poſſunt; ſed opus eſt, ut cæteri in illorum mores tranſeant, inſtar arborum, quæ aliis inſeruntur. Quare dico utiliſſimum fore, ſi militibus & baronibus Hiſpanis in exteris regionibus degentibus exteræ quoque mulieres matrimonio jungantur: viciſſimque peregrinos connubiis & officiis in Hiſpaniam perliciendi artes à me præmonſtratæ eo diligentiorem conſiderationem merentur, quia plus habent in receſſu quam in fronte promittunt: idque clarius patebit, ubi de ſingulis nationibus ſingulatim locutus fuero. Quantum ad politicas uniones attinet, danda eſt Regi opera, ut ſuam nationem cum aliis conjungat, religione ante omnia, quod eſt arctiſſimum copulandi vinculum, idque beneficio Concionatorum theologicorum, ut ſupra. Deinde nexu eximiarum artium atque ſcientiarum ac linguarum; quæ omnes gentes in admirationem tanti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ti Imperii rapiunt:bellumq; ſemper prius vicinis quam remotis inferat, ipſeque ibi præſens adſit. Denique, ut reliquas omnes nationes inducat, vel invitet, ut navigantes in Mundum Novum in ſua terra theſauros colligant; quod videmus à Genuenſibus hodie fieri. Itaque omnia moderetur, ut ſemper unum regnum alterius opera & auxilio opus habeat; ut maneant hoc modo quaſi convincta. Moveatque omnem lapidem, ut inimici illius è contrario disjuncti maneant, religione, induciis, moribus, ſcientiis, conditionibus, mercatura, & omnibus rebus neceſſariis: fœduſque ineat cum illis, qui ipſi nocere poſſunt. Quæ omnia ut melius perſpiciantur, ſingulatim de omnibus gentibus, quæ illi commodo aut incommodo eſſe poſſunt, diſſeram, in medium producens modos, quibus uniri poſſunt. Cum hoc extra dubium ſit, quodlibet ſcil. Imperium vaſtum, ſed unitum, ab hoſtium incurſibus tutius eſſe, quia non ſolum magnum eſt, ſed & unitum, unde potiſſimum illi robur & potentia.

CAPUT XX.

De Hiſpania.

AD modo dicta notandum, quod, cum in Hiſpaniis diverſi populi ſint, maxime illos, qui olim dominio inſigniori

eminuerunt, unanimes eſſe conveniat. Ideo Caſtilienſes, Arragonenſes & Luſitanos inprimis concordes efficiat Rex, omnibuſque æqualia officia in aulis diſtribuat, Luſitanoſque in Caſtilia, Caſtilienſes autem in Luſitania muneribus decoret; matrimoniiſque & communione navigationum illos invicem quaſi conſtringat: Idemque fieri par eſt inter montanos Biſcajenſes, & Leonenſes, itemque Aſtures & Gallæcos; & inter campeſtres Vandaloſianos & Valencianos; familiares ut omnes invicem fiant, quamvis locorum ſitu & intercapedine disjuncti. Introducanturque inter illos (ut horum omnium ante meminimus,) communia collegia & ſeminaria militum togatorum & armatorum; quibus tuti reddantur, tam ipſi quam rex: dandaque eſt opera, ut mulieres externas connubio ſibi jungant, liberoſque ex illis ſuſcipiant, qui, ſi forte bella ingruant, ſubſidio illis ſint, prout natura cujuſque, non prout ſors tulerit: paulatimque veteres illorum mores abolendi ſunt; non vero repente: doceanturque in Italia potius quam in Belgio officia adminiſtrare. In Hiſpania vero Itali permixti Hiſpanis officia ſubeant: & in eadem, cum ſit ſedes totius regni, apices omnium virtutum & ſcientiarum, juſtitiæ ſcilicet & religionis, eſſe debent;

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quo promptius reliqui Hiſpanos ſequantur, imbibentes illorum mores, quos vident bene beateque agere. Verum ſi illi profligatæ vitæ & moribus incivilibus erunt, omnibus nationibus abominationi erunt: ut taceam, quod gravitate & conſtantia morum cæteros omnes superare debent, quia domi habent unde diſcant. Inprimis vero neceſſarium eſt, ut fidem conſtanter colant tam pacis quam belli tempore, id quod docendo & formando illos in dictis ſeminariis effici poteſt, ubi diſcunt obedire & ſervire Regi. Et ſiquidem rex ſtrenuum ſe militem virtutiſque ſtudioſum oſtendit, dignior habetur qui ametur & colatur; cuique fides præſtetur: omneſque ſubditi alacriter ſe ad illius mores component: ut ſupra. Munitiones & arces in Galliam obverſæ ſint munitiſſimæ; itemque illæ quæ Corrugnæ, & in littore ſeptentrionali Angliam ſpectant: eoque præcavendum ne ab hoſtibus imperantur. Verum tamen claſſis mille navium hac in parte plus valebit; ut mox oſtendam. Hiſpani doceant etiam incolas Africæ & utriuſque Indiæ ad illos tranſlatos aut ſponte tranſmigrantes artes mechanicas; ipſi vero ſolis armis ſtudeant, & quidem magis quam literis: peregrini vero ad literarum po.ius quam armorum ſtudium admo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

veantur. Videmus enim Athenas doctas à bellicoſa Lacedæmone bello victas fuiſſe: quæ tamen ambæ poſtea in Macedonum manus & poteſtatem inciderunt; utpote qui melius quam iſtæ à Philippo rege ſuo, & patre Alexandri, arma tractare fuerant aſſueti. Sufficit ergo ſi in aliis tibi ſubjectis gentibus ſeminaria artium & linguarum Auſtriaca è ſolis tuis conſtent: & ut reliquorum non magna cura habeatur, qui ſcientiis & artibus relinqui poſſunt: ſed in Hiſpania peropus eſt, ut omnes tam extra quam intra Seminaria educati armorum ſcientia exercitati ſint. Aperiendæ etiam ſunt ſcholæ pro ſecundo-genitis Nobilium Hiſpanorum, unde ſumantur fideles duces ad expeditiones tam maritimas quam terreſtres: de quo etiam ſupra. Neque eſt quod quiſquam faſtidio aut tædio Hiſpaniæ afficiatur quod regio eſt ſterilis: nam hæc culpa non ſolo, ſed paucitati cultorum imputanda eſt: quia ſolum per ſe fertiliſſimum eſt, & omnia ad ſuſtentationem vitæ ſpectantia abunde profundit; & ſi diligentius coleretur, infinito hominum numero alendo ſufficeret; ſicut olim ingentes Carthaginenſium & Romanorum exercitus aluit, cum ſuis incolis propriis. Neque ulla provincia majori vi aut diutius vires Romanas eluſit; neque un-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quam exercitum occidione amiſit, quin ſtatim repararit alium majorem. Verum, ut antiqua omittam, tradunt recentiores, regem Granatæ in bellum adverſus Ferdinandum quinquaginta millia equitum ſecum adduxiſſe: qui numerus, haud ſcio, an hodie in reliqua Hiſpania & Luſitania ſimul reperiretur: non quod natura regionum mutata ſit, aut cœli temperies; ſed quia numerus incolarum imminutus eſt, atque agricultura intermiſſa. Incolarum autem multitudo hodie minor eſt, primo, propter bellum, per quod Mauri Hiſpanis ſuperiores evaſerunt: ſiquidem in illo bello ſpatio trium menſium ad ſepties centena millia hominum interierunt: inſecutum eſt deinde bellum, quod ſeptingentos ſeptuaginta octo annos duravit, quo gens illa Maurorum univerſa in Hiſpania eradicata eſt; intra quod tempus incredibilis vis hominum ab utraque parte occidit, adeo ut multæ urbes, imo multi integri terræ tractus deſerti manſerint. Vixque finitum hoc bellum fuit, cum ſubito ſe rurſus ad Africam, Neapolin, Mediolanum, & Novum Orbem ipſum invadendum accinxerunt, & his ſubjugatis ad Belgium quoque recuperandum ſe expedierunt: in quibus expeditionibus etiam ingens numerus hominum obiit, bello & aliis calamitati-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

bus, quæ bellum ut plurimum ſequuntur, oppreſſi. Atque etiam nunc quotidie homines infinitos in modo dictas regiones deducunt, partim quaſi ad colonias, partim ut ibi negotientur aut in præſidiis ſint. Agriculturæ igitur ſtudium in Hiſpania intermiſſum jacuit, quia illius regionis homines ad ſtudium armorum natura propenſi ſunt, magiſque honorem & utilitatem ex militia atque ſtipendiis, quam aliis rebus aucupantur. Enimvero Hiſpani non in agricultura ſolum, ſed etiam in artibus mechanicis exercendis ſegnes ſunt: unde fit, ut Hiſpania mechanicis deſtituatur, & lanæ, ſericum, aliæque quæ regio illa producit, peregre tranſportentur; & quicquid materiæ rudis in ea manet, ab Italis fere ſolis in opus traducitur; agri vero & vineæ Gallis colendæ relinquuntur. Et ſi diligenter perſcrutari velimus cauſas, propter quas Hiſpania tam diuturno temporis ſpatio profundiſſima pace & ſumma tranquillitate gaudet: cum Gallia perpetuis bellorum motibus fluctuet; inveniemus, hoc magna ex parte non aliunde proficiſci, quam quod Hiſpania impedita eſt externis bellis in India, in Belgio, hæreticis domandis, in Turcis & Mauris profligandis; ubi Hiſpani manibus mentibuſque laborant: quod dum faciunt, patria quie-

quieta manet, & illi omne ſeditionis virus in alios evomunt. Quare haud omiſerim dicere, illos inopia militum ſæpiuſcule coactos fuiſſe imitari Finlandos, qui in bellum contra Moſcovitas magnum numerum canum efferatorum atque rabidorum ſecum educunt, qui ſane illos quandoque multum juvant. Quod idem Vaſco Nugnezius in Mundo Novo haud ſine barbarorum iſtorum ruina perpetravit, ſæpe hoc modo in fugam illos conjiciens. Sed ſatis jam diu in Hiſpania commorati ſumus.

CAPUT XXI.

De Italia.

HIſpania nullam ſibi amiciorem gentem habet, quam Italam. Quapropter ut illius ſibi benevolentiam conſervet, par & æquum eſt, ut Neapolitanos & Mediolanenſes ita beneficiis demulceat, ut cæteræ gentes harum duarum regionum felicitatem admirentur, illarumque fortunam ſibi quoque expetant. Id quod confieri poteſt, ſi Hiſpania operam dabit, ut tributa utrique minuantur, numeruſque hominum in utroque illo tractu augeatur, inſtituanturq; apud utramque ſeminaria, ex quibus tanquam ex equo Trojano prodeant viri liberalium & militarium artium periti, religionis Ca-

tholicæ retinentiſſimi : de quibus etiam ſupra. Quæ ſane res exteros iu ſtuporem & admirationem rapit: neque, ut quibuſdam videtur, quicquam ea ratione opibus regis decedit. Item modus ineatur cohibendorum uſurariorum, inſtituanturque Montes miſericordiæ, ſeu publicæ domus, in quibus tenuis fortunæ civibus pecuniæ ſub pignoribus mutuo dentur: coërceantur etiam incrementa Nobilium. Præterea viſitentur carceres baronum, qui ſæpe nimium ſunt crudeles: neque cuiquam permittatur captivare quenquam privata authoritate, niſi eos qui crimen violatæ pacis publicæ, aut etiam majeſtatis commiſerunt; curentque captivos humanius ſolito; quippe ſævitia ſua inſatiabili regem in infamiam tyrannidis adduxerunt, præſertim in regno Neapolitano. Videtur etiam non parum facere ad favorem vulgi regi conciliandum, ſi unum ſaltem Commiſſarium inſtituat, qui aſſumptis Clericis, publicos carceres adeat atque viſitet, & ſimul uſurarios & inferiores miniſtros obſervet: ut ſupra. Item ſi proſcriptis clementiam præſtet ſub prætextu eos in Africam amandandi; reipſa vero ſeptimo quoque anno tales in Mundum Novum tranſportet. Milites, qui ad hunc uſque diem ſubditis impoſiti ſunt, dimittat, &

eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

eorum loco tanto plures triremes inſtruat, quæ omnem maritimam oram obeuntes Regis provincias à Turcarum invaſionibus ſecuras reddant: nam milites inſolentes, crudeles in populum, inertes contra Turcam, invitique ad maritimas expeditiones prodeunt: atque etiam cum inde reditum eſt, ſtrenuis civibus mancipia ſua manu capta etiam fuſtium ictibus extorquent, poſteaque Turcas iſtos quaſi à ſe captos Thraſonico more oſtentant: quod ſane indigniſſimum factum quotidie tamen in Calabria fieri videmus. Præſtat itaque, populum ipſum arma contra Turcas corripere, & ſaltem dimidium pretii captivorum illis relinqui: ſic enim Rex validos & divites propugnatores ſimul habebit, neque metuet ne illi, exoſi militum ſævitiam, de novis dominis ſibi proſpiciant. Porro inhibeat pravam fiſcalium ſuorum diligentiam, qui, ut regis videlicet jus tueantur, nullum ſævitiæ genus in pauperes ſubditos omittunt, detinentes illos captivos, extorquenteſque illis pecunias nulla ſatis manifeſta cauſſa. Sed de his eorumque remediis ſatis ſupra, ubi de juſtitia verba fecimus. Expeditiones illæ maritimæ regem tam ab hoſtibus quam à ſuis tutum reddunt: cum contra miles ruſticis impoſitus prius parum, poſterius ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ro omnino non præſtet: ſola itaque maritima loca præſidiis firmentur, populuſque in benevolo timore regis ſui retineatur. Potiſſima pars Italiæ, ut Regnum Neapolitanum & Ducatus Mediolanenſis, Regi Catholico ſubjecta eſt: quæ vero non, à regulis ſuis, formidine potentiæ Hiſpanicæ, ad odium Hiſpanorum inſtigatur: unde Regi duo minari conſueverunt. Primum, ſe evocaturos & incitaturos Gallos contra ſtatum Mediolanenſem: cui tamen malo facile à Rege occurri poteſt, ſi limites illius Ducatus præſidiis firmet, pagoſque immunitos, qui palanti hoſti plerumque in prædam cedunt, tollat & eradicet: curetque more Hungarorum omne frumentum cum bonis ſubditorum in urbes munitas deferri, cum inſtrumentis mechanicis, ut illi qui in eas confugerunt, tempore obſidionis aut incurſionis habeant ad vitam & ad operandum neceſſaria. Verum Genua accommodatiſſima eſt ad auxilium ferendum, & Neapolis etiam, ſi modo rex claſſem modo dictam in mare deducere volet: ſiquidem longa experientia teſtatur, illum, qui maris dominus eſt, ſimul quoque continenti leges dare, & poſſunt milites, quotieſcunque & ubicunque res id exigere videbitur, in terram exponi: id quod rex Galliarum in-

voca-

vocatus præſtare nequit. Conſultum eſt ergo regi Hiſpaniarum, ut rex confines ſuos Helvetios & Griſones confœderationibus ſibi devinciat, eligatque ſibi ex illis triginta millia militum, qui interim dimidiato ſtipendio contenti vivant, ad imitationem Venetórum; utaturque illorum viribus majori alicui potentiæ propulſandæ. Verum ne ejuſmodi populi numero aucti ipſum Ducatum Mediolanenſem invadant, id quod temporibus Romanorum accidiſſe vidimus, pars illorum in Belgium, pars Neapolim, pars etiam in Mundum Novum disjiciatur; ubi in exercitibus ſuis militantes aliquando conſumantur. Et certe ſi hic populus bene coaleſceret, Italiam facili negotio in ſuam poteſtatem redigeret: verum dum diverſi diverſis regibus & rebuſp. militant, metuendum non eſt, ne hoc eveniat: atque perutile eſt, ut pars illius eo modo quo dictum eſt, alio avertantur. Alterum, quod Itali Hiſpanis minantur, eſt, ne forte unionem cum Papa & Gallo ineant in præjudicium Hiſpaniæ. Sed & hic conceptus facile à Rege deludi poteſt; quia nullus illorum abſque Papa & Gallo facere audet, cum ſibi ſoli propugnando vix illorum quiſpiam ſufficiat, nedum ut ſolus acquirere poſſit: niſi forte inuſitata quadam occaſione, ſicut

cut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cut fecere Veneti eo tempore, quando Pontifices Romani bellum cum Imperatoribus habuerunt, & Tranſalpini in Italiam tranſire auſi ſunt. Igitur modo Rex Papam à ſuis partibus habeat, non eſt, quod timeat: neque enim ulla dominatio in Italia permutatur ſine illius interventu: & Papa ſolus cauſſa fuit omnium mutationum quæ unquam in Regno Neapolitano contigerunt: & ſi Papæ placet arma ſumere contra partem aut rempubl. aliquam Italiæ, ſtatim vincit, arripiens conſueta ſibi remedia, qualia ſunt, elargiri indulgentias contra illam, ſubditoſque juris jurandi vinculo ab illa diſſolvere, & alios contra illos in auxilium vocare: quod Iulius II. fecit, tum, cum Venetos excommunicaret; quo tempore illi prorſus ſuccubuerunt. Iam vero ſuadeo Regi, ut Papæ cedat, & exequatur; mandetque quod jam olim Conſtantinus Imperator fieri voluit, nempe ut Papa ſummam authoritatem in ultimis appellationibus habeat, ut duo Epiſcopi cum Rege, qui tum Clerici locum occupat, judices ſint in omnibus cauſſis per ultimam appellationem ad ſe devolutis; ineatque pactum cum Papa, ut reliqui omnes, qui hoc facere detrectant, authoritate ſua priventur. Nam ſi aliqui aut etiam omnes principes Italiæ ſimul

Papæ

Papæ ceſſerint, Rex Pontificalis authoritatis vindex, cruciatis & aliis pontificalibus auxiliis nixus, paulatim omnes ſucceſſive peſſundabit, aut ſibi ſubjiciet, qui, dum Papæ cedit, animum & vires ipſius ſibi lucratur, ac Principum Italię dominia acquirit. Hoc quandoque locum habere poteſt: ſed, prout hodiernus rerum ſtatus comparatus eſt, elaborandum eſt Regi, ut Principum Italicorum diſſidia alat, Parmenſem vel alium ſibi devinciens, cæteros vero nihili æſtimans: appellet etiam Venetos Patres Italiæ, petatque ab illis viros nobiles quos judices in Belgio conſtituat: quandoquidem gens illa libentius Italos admittit, quam Hiſpanos, & inter Italos maxime Venetos: honoret ſimul illos baronatibus. Cumque hoc certo conſtet, quod illi juſti, nec ambitioſi ſint, eoque aptiores, ſi non ad acquirendum, certe ad conſervandum, curet, ut Hollandi à Venetis leges petant; ut infra dicetur. Quod ſi hac arte eoſdem inducere poſſet, ut Alexandriam & Syriam omittentes in Mundum Novum negotiatum abirent, ad imitationem Luſitanorum; hoc ſane modo Venetorum dominus evaderet, æque ac Genuenſium. Vt autem ſecurus à Venetis quoque ſit, præſtabit illa modo dicta claſſis, item Archidux Carinthiæ, cum Griſonibus con-

finibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

finibus ſuis, ſi opera illorum utatur in bello, quo magis Veneti abſterreantur. Deinde omnes à Florentinis ac Venetianis proſcriptos hoſpitio excipiat, eorumque opera in bello utatur, imo muneribus eoſdem afficiat, quo etiam alios attrahant, & ei contra ſuam ipſorum patriam operam ſuam collocent. Quod quidem Dux Mediolanenſis facere conſuevit ſæpe; item Rex Galliarum non raro, quum exules Genuenſium & Florentinorum ad ſe vocavit, ob hanc eandem cauſſàm. Hac ratione noſtro quoque tempore Piccolominæi, Strozzi, & Dominus Petrus de Medicis Magno Florentinorum Duci haud parvum metum incutere poſſent. Si itaque Rex deſiderat ut illi disjuncti maneant, caveat ne metum illis incutiat. nam metus vires Italiæ in unum cogit: qua de cauſſà diſſimulet ſe illis ſuccenſere. At vero per ſchiſma religionis minime omnium dirimi aut debent, aut poſſunt; ſed beneficiis, ut modo oſtenſum eſt. Quod ſi Auſtriacorum quis in Papam eligeretur, actum eſſet de Italia. Optimum foret, ſi cum Genuenſibus commercia exercere, ut facit, Permitteret: nam Genua quaſi ærarium Regis eſt, & eo utitur ut barones Italiæ ſupprimat: præterea Genuenſes ad navigationem multum illi conferunt: ut ſu-

pra. Verum hi arte tractandi, ne videantur neceſſitate coacti, ſed amore illecti paruiſſe. Quæ illis debentur promte quidem ſolvantur: pauca tamen opida aut loca munita illis pignori dentur aut vendantur; ne, univerſo Italiæ tumultu forte orto, vexilla Genuenſium ſequantur. Proinde continuo oculos in florentiſſimas illas duas Reſpubl. intentos habeat, Venetam videlicet & Genuenſem. Quarum Veneta Genuenſem & dignitate & potentia longe ſuperat. Cujus rei cauſſa eſt, quod Veneti exercendo mercaturam liberam, rem ſuam familiarem mediocriter auxerunt; rem vero publicam in infinitum: contra vero Genuenſes collybo exercendo res ſuas domeſticas ſupra modum auxerunt, publicas vero afflixerunt. Quo conſiderato, rex cum diverſis his rebuſpublicis diverſo modo procedet.

Capvt XXII.

De Sicilia & Sardinia.

Siculis & Sardis, cum inſulani ſint, & Africæ viciniores, conveniunt etiam leges magis ſtrictæ quam Italis, ſufficitque ad illos in officio continendos, ſi portus illorum occupentur juxta cum turribus mari imminentibus. Hi loci vero in tuto ponentur, ſi claſſis paulo ante dicta inſtruatur, ac perpetuo conſervetur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quæ non univerſa, ſed diviſa Italiam cum his inſulis ambiens utriſque magnam ſecuritatem præſtabit: cujus milites ſi paganis imponendi forent, plus mali quam boni efficerent, numeruſque illorum augendus eſſet. At iſta ratione ex præda Mauris & Turcis extorta nutriuntur, regiſque facultates augent, ipſamque Africam ſecuram reddunt: & ſi forte contingat Tunetanos aut Algierenſes in favorem Chriſtianorum tumultuari, parati eſſent milites, qui ſuppetias ferrent, navigantes in regnum Oran: poteſtque mercatura cum illis populis holoſerico, frumento, & aliis mercimoniis ſecure tuentibus mare Adriaticum Venetis exerceri, nullo Turcarum aut piratarum metu. In his inſulis pulcherrima militum ſeminaria inſtitui poſſunt, ex filiis & mulieribus, Turcis & Mauris ereptis: docerique inibi poteſt lingua Arabica, cœnobiis Clericorum ſimul erectis: ut ſupra innuimus. Hic illud obſervandum eſt, ut in commutandis mercibus cum Anglis, Turcis, aut Mauris, ſemper religioſi adſint, nequis peregrina hæreſi inficiatur: nam Inſulæ ob commoditatem recipiendi omnis generis homines, mutationibus valde obnoxiæ ſunt: id quod ipſe quoque Plato affirmat. Populi maritimi per nimiam converſationem cum

perc-

peregrinis (qua de cauſſa Plato mare magiſtrum improbitatis vocavit) plerumque ſunt verſuti, ſagaces, & providi, quique ſciant negotia fori. Mediterranei contra ſinceri, juſti, paucoque contenti ſunt. Etiam urbes magnæ ipſæ tibi uſui eſſe poſſunt, qualis eſt Syracuſa in Sicilia; quæ, teſte Cicerone, quatuor in partes diviſa, totidem veras urbes conſtituere potuiſſet. Hodie vero Panormus ibidem eſt, elegantibus templis & palatiis exornata: in qua duo ſunt memoratu digna; unum, platea tranſverſim totam civitatem in duas quaſi partes ſecans, quæ recta, ampla, longa & ædificiis variis exornata eſt, ut haud ſciam an ulla ſimilis in tota Italia inveniatur: alterum eſt, Moles mari immenſis ſumtibus objecta, cujus beneficio urbs portum habet capaciſſimum; opus ſane magnificentia Romana digniſſimum. Inſulæ plerumque tyrannorum niduli fuerunt, ut ait Plato. Verum de portubus ob eum metum neceſſariis, item de navigationibus ſuo loco dicam. Populos iſtos quod attinet, rebus neceſſariis minime fraudandi, aut arctius conſtringendi ſunt: ſed opus habent, ut in fœneratores inter illos latentes, & in carceres tyrannorum inquiratur, ut ſupra dictum. Poſſunt ibidem etiam ſeminaria nautica inſtitui, & quotannis certus

numerus juvenum illuc mitti cum triremibus, ut diſcant artem nauticam; prout Venetis in more poſitum eſt: idque tanto magis, quod rex maxime omnium nautica pube opus habet; ſed cum hac Tranſalpini augendæ illius cauſſà conjungendi ſunt, de quo jam dictum. Poſſunt etiam duo genera Equitum maritimorum inſtitui, ad exemplum Melitenſium: neque reditus D. Iacobi, aliorumve Equeſtrium Ordinum hominibus otioſis dentur: quod ſane ita fieri neceſſè eſt, ne Rex ſemper auxiliaribus nautis opus habeat, aut etiam mercenariis, quales ſunt Genuenſes. In talibus inſulis barones magis quam alibi ſupprimendi ſunt; cum ſitus locorum illis majorem quam alibi anſam novandarum rerum præbeat, & ingenio ad tyrannidem proclives ſint. Quare præſtat barones ex aliis nationibus huc tranſmittere; ad id vero convenientiores reliquis ſunt Hiſpani, cum ſint ſub eodem climate poſiti; illiſque tam officia, quam negotiationes committendæ; quibus & Tranſalpini adjungendi ſunt, partim militaturi, partim ſuſcipiendæ proli. Neque Arx ulla munitior Nobilibus indigenis committenda eſt: nam illi plerumque duces & authores ſunt rebellandi; maxime contra Gallos; quamvis hi poſtea Arragonenſibus
ob

ob ſimilitudinem morum fideles fuerunt. Nihil ergo magis neceſſarium eſt ad feliciter regnandum, quam ingenia, naturam, inclinationem ſubditorum perſpectam habere; ſiquidem juxta hæc forma regni ineunda eſt.

CAPVT XXIII.

De Germania.

VErba facturis nobis de gentibus regi Hiſpaniarum inimicis, in quas tamen illi aliquid juris eſt, primi ſe offerunt Germani, quos ſane non eſt quod timeat, cum domus Auſtriaca in Germania ſit potentiſſima: ad hoc magnitudinis & potentiæ evecta per connubia continua & ſucceſſiones hæreditarias, atque affinitates. Nam Maximilianus provincias Germaniæ Inferioris à Maria filia Caroli ultimi Burgundiorum Ducis habuit, Maximiliani filius, nomine Philippus, Hiſpaniam cum appendicibus ſuis per uxorem ſuam Iohannam filiam Ferdinandi & Iſabellæ hæreditate obtinuit: in quibus regnis Carolus illius filius ſucceſſit: hiſque noſtris temporibus filius digniſſimus patre tali, Philippus hæreditario jure Luſitaniam cum appendicibus ſuis, ſane maximis accepit, reſpectu matris Iſabellæ: à qua etiam ipſa domo deſcendit nomen regis Hiſpaniarum. Iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſciendum domum Auſtriacam ſolos Catholicos principes ſibi amicos habere, qualis eſt Dux Bavariæ, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, pauciſque aliis: neceſſariumque ideo eſt, ut hi ſemper magis magiſque copulentur, non ſolum religione, ſed etiam connubiis, aliiſque fœderibus: quæ certe via ut juſtiſſima, ita & tutiſſima eſt, cæteriſque omnibus longe firmior & durabilior. Adhibenda vero etiam ſumma opera eſt ut ſpargantur perpetua diſcordiæ ſemina inter Marchionem Brandeburgicum, Landgravium Haſſiæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brunſvvigæ, Palatinum ad Rhenum, Ducem item VVirtebergenſem, & minutas illas reſpublicas Germaniæ: quod facile fieri poteſt, ob diſſidia ſtatus, & æmulationes, quod crebro reſpublicas illas ſuſpicaces & ſuſpenſas tenent. Hincque fit, ut illæ nunquam ſatis in tempore auxilium Imperatoribus ferant: primo, quia hi Hungariam non Imperio Romano, ſed domui Auſtriacæ ſubjicere ſatagunt: deinde, quia timent ne Imperator, viribus in eum modum auctus, ipſis quoque jugum imponere conetur. Vnde pro capite quidem unionis ſuæ illum agnoſcunt; ſervitia vero præſtare illi nolunt; cuduntque ſibi ipſæ novas leges & religionem: cujus rei exemplum vel Norimber-

rimber-

rimberga, Spira, Argentina & Francofurtum præbent: quod ſane plus ſatis eſt. Adde quod tale diſſidium Regi Hiſpaniarum certo reſpectu & prodeſt, & obeſt, ſicut in omnibus peregrinis uſuvenire ſolet. Turca enim domui Auſtriacæ Boſniam, Croatiam & Hungariam eripuit, per quam, periculum eſt, ne ſibi quoque aliquando viam in Auſtriam patefaciat. Quod ſi jam Germania ſub auſpiciis domus hujus ſemper perderet, poſſet fieri ut hæreticum ſibi Imperatorem eligeret, illa repulſa: quod profecto multorum majorum malorum cauſſa eſſet. Quare elaborandum eſſe duco Regi Hiſpaniarum, ut Imperator ipſe, aut Maximilianus frater illius, cum Duce Tranſſylvaniæ ſe conjungat, vel etiam cum Moſcovitis, in perniciem ſcilicet Turcarum. Faciatque Imperator pactum cum Proteſtantibus, & civitatibus liberis, atque etiam cum Bavaro, ut omnia quæ acquirit, Imperii ſint. Poſtmodum in ipſo bello Imperator omnes Civitatum liberarum primores, id eſt, omnes duces militares ab illis Civitatibus miſſos feudorum largitionibus, aliiſque modis, ſibi potius quam patriæ illorum obſtringat: quemadmodum Cæſar exercitum etiam contra ipſam Romam ſibi devinxit. Sed hoc ſolus aliquis fortis & prudens Au-

 ſtria-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſtriacus, nec ullus alius, præſtare poteſt; qui victis Turcis arma victricia confeſtim in Germaniam inferat, adjungens ſibi etiam partem Hiſpanorum atque Italorum. Hoc ni fit, periculum ſubeſt, ne quid detrimenti Rex accipiat. Providendum igitur illi eſt, & cum Imper. ac Papa agendum, & ut jus electionis Cæſareæ amicis, velut Bavaro, & Archiduci deferatur: alioqui Galliarum rex in Imperatorem electus rebus illius multum incommodi adferre poteſt. Sed qua ſuadela induci poſſint Proteſtantes, ut ſine dubio nullum alium quam ipſum Regem Hiſpaniarum eligant, coram Regi declarabo: neque enim chartæ committere hoc volo. Quod ſi rex Germaniam occupare vult, neceſſe eſt, ut prius fiat Imperator, atque deinde ſub ſpecie oppugnandi Turcam in Vngariam tendat, ſicque ex improviſo Proteſtantes oſcitantes opprimat cum Civitatibus Imperialibus, ſumma celeritate, ne illi prius ſe ad opponendum expediant; id Carolus V. affabre perfecit: faciatque colonias novas, cum novis legibus, & miniſtris Italis, quandoquidem clima illud Hiſpanos non fert: neque id alio modo fieri poteſt. Verum enimvero res Hungaricæ magno auxilio opus habent: nam Vienna capta Turca mox in Forum Iulium pene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

penetrare poteſt. Cui malo quomodo occurrendum ſit, dicam, ubi de Turca dicere inſtituero. Is contra principes Chriſtianos ſemper tali uſus eſt arte, ut nunquam cum uno ſolo diu continuarit bellum; ſed modo hunc, modo illum adortus, iſti hanc, alii aliam regionem, ſæpe etiam integrum regnum eripuerit: & ne exercitati fierent in armis, pacis aut induciarum conditiones cum illis iniit, atque è veſtigio aliis arma intulit; ne quidem ſatis ſpatii ad cogitandum aut ſe parandum ipſis relinquens, ſed, urbe aliqua aut loco capto, pacem aut inducias etiam ipſis conceſſit. Quo modo exercitus ejus omnes ex veteranis; noſtri vero ex tironibus compoſiti fuerunt: nam ille ſemper cum aliquo bellum geſſit; nullus vero prædictorum Principum ſemper in armis fuit. Hinc etiam factum, ut ille perpetuo aliquid profecerit, aut acquirendo, aut acquiſita ſtabiliendo. Sed tempus eſt ut redeamus eo, unde digreſſi ſumus. Dico igitur etiamnum, regno Hiſpanico eſſe utile, ut amici ejus ſint uniti, inimici vero, præſertim in Germania, disjuncti & ſibi mutuo adverſi; idque ut fiat, omnem lapidem eſſe movendum. Egregia vero via ad humiliandos hæreticos, eoſque diſtrahendos, etiam hæc eſt, nimirum aperire ſcholas philoſophicas, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

mathematicas in Germania, ut ejuſmodi ſpeculationibus juventus immergatur potius, quam hæreticis ſtudiis vacet. Cæteri occupati reddantur in fabricandis machinis bellicis, nauticis, aliiſque mechanicis: ingeniaque præſtantia lautis ſtipendiis ad aſtrologiam in Mundo Novo exercendam pelliciantur. Verum ſtupenda illa via ſeparandi illos invicem, mihi perplacet, quæ bipartita eſt; & una quidem, ſi animus omnis & voluntas inter ſe coëundi & conſpirandi illis auferatur; ſuſpiciones & ſimultates inter illos alendo; ſic quidem, ne unus alteri mentem ſuam declarare, aut quicquam ſecreti in ſinum alterius deponere audeat. Hoc aſtu uſus eſt Carolus Magnus, qui præter ordinaria tribunalia judicium occultum in VVeſtphalia inſtituit, compeſcendis VVeſtphalis, qui, vel poſtquam baptizati eſſent, diſſolute nihilominus vivebant, non ſine ſuſpicione perfidiæ in fidem Chriſtianam. Altera via eſt, intercludere illis aditum ad committendum quid, quod vergat in præjudicium ſtatus. Quod fit, ſi affinitates, leges, confœderationes inter primores illius populi impediantur: ſecundo ne relinquatur ibi vir in magna exiſtimatione conſtitutus, ſed tranſportetur alio. Hoc modo Carolus Magnus ad evitandos tumultus Saxoniæ,

nobiles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

nobiles illius loci in Galliam tranſire juſſit. Nec denique permittatur, ut illorum Conſilia, Magiſtratus, & Collegia ſine exploratoribus atque delatoribus tuis ſint.

Capvt XXIV.

De Gallia.

Qvandoquidem nullum regnum Chriſtianum Monarchiæ Hiſpanicæ plus obſiſtere poteſt, quam Gallia, (loquor autem hic de regnis unitis, unoque corpore comprehenſis) quæ eſt omnium grandiſſima, ditiſſima, & populoſiſſima: quippe ea vigintiſeptem millia Eccleſiarum parochialium habet, paſcitque circa centum ac quinquaginta milliones hominum; tamque fertilis eſt natura, tam dives, per induſtriam incolarum ſuarum, ut nulli alii regioni facile cedat. Huc accedit, quod ab Hiſpania non procul diſtat, ejuſque incolæ natura Hiſpanis infenſi ſunt, ac virtute bellica præſtantes, & unum ſolum caput domeſticum habent: quæ omnes conditiones in nullo alio populo conjunctæ reperiuntur. Alii enim aut longius remoti ſunt, ut Turcæ & Angli; aut imbelles, ſicut Itali; aut inter ſe diviſi ſunt, ſicut Germani. Quare de Gallis paulo exactius mihi loquendum eſſe intelligo: dicamque quantum hac in re ſuperioribus annis peccatum ſit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſit ; ut erga iſtum populum in poſterum ſimus cautiores. Gens Gallica à Iaphet per Gomer genus ducens, vi armorum, robore, religioneque & fato propitiis, magnos ſucceſſus habuit; adeo ut ſub auſpiciis Caroli Magni,& Pipini ad tantam monarchiam adſcenderit. Et certe cæteri omnes Chriſtiani Principes regnum Galliæ ſuſpiciebant : & ſi illud impietatem Mahumeticam, dum adhuc in herba fuit, eradicaſſet, facile totius orbis Monarchiam in ſe transferre potuiſſet. Idque tanto facilius, quod Hiſpani Gallorum æmuli in plura regna diviſi erant, belloque cum Mauris diſtinebantur, qui illorum regionem invaſerant ; quo tempore Gallos à ſuo propoſito minime depellere potuiſſent, ſicut Galli hoc noſtro tempore ipſos à ſuo depellere conantur. Verum, quia ipſi ſibi moderari nequeunt in exteris gubernandis, ſed nimis ſunt impatientes atque indiſcreti, ad tantum iſtud faſtigium potentiæ adſcendere nunquam potuerunt ; cum nimium ſibi ipſis tribuunt, nullaque gravitate ſubditis quæcunque libet facere permittunt, illoſque nimis inhumaniter modo, & modo nimis clementer tractant, nulla cura habita propriorum defectuum. Vnde factum, ut cum multa acquiſierint, nihil tamen ſervaverint. Nam unis Veſperis Siciliam, &

paulu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

paululum majori temporis ſpatio regnum Neapolitanum amiſerunt, una cum Ducatu Mediolanenſi: non aliam ob cauſſam, quam quod defectu prudentis regiminis ſubditos ſibi amore boni publici obligare nequiverint; nec alios allicere ad ſeſe ſub protectionem ipſorum ſubmittendum. Cum enim animadverterent populi, parum aut nihil libertatis ſuæ intereſſe, Gallo an Hiſpano parerent, ne gladium quidem pro Gallis ſtringere dignati ſunt. Hac eadem de cauſſa Rex Galliarum, & Dux Mediolanenſis dominium in Genuenſes ſæpius amiſerunt. Ad quam etiam, quantum ad Gallos attinet, acceſſit diſſidium inter filios Caroli Magni, quod unus Italiæ, alius Germaniæ, & rurſus alius Galliæ rex eſſe voluit; & impotentia nobilium Gallorum, qui ſinguli liberi eſſe voluerunt, ſineque capite degere, ſicut Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Dux item Britanniæ, Delfinatus, Sabaudiæ, Palatinus ad Rhenum, cum aliis pluribus; quorum quiſque abſolutus dominus eſſe voluit. Ita ut tum propter has rationes, tum propter ſchiſma religionis, tam à fato, quam à DEO ipſo, tum etiam ab occaſione, à Monarchia orbis terrarum excluſi eſſe videantur. Proinde illa ſummi Imperii Majeſtas ad Hiſpanos magis inclinare præſumitur, tum quia

fatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

fatum ipſum hoc illis deſtinaſſe, tum & patientiæ & diſcretioni ipſorum idem deberi videatur. Sed quia ſitus ipſe regionis, ratio armorum, & inſita inimicitia poſcere videtur, ut Gallia cum Hiſpania perpetuo armis decertet, ipſiuſque gloriæ obſtrepet, quæ & olim florens ſub Carolo V. à Franciſco rege Galliarum impedita fuit, & hodie ſub imperio Philippi ab hæreticis Gallis & Henrico IV. viro ſtrenuo & militari impediri poteſt; neceſſe habet Hiſpanus conditionem rerum ſuarum accurate perpendere; & rationes Gallorum probe ſecum reputare, occaſioneque data ſtrenue labefactare illos, quacunque parte debiles ſunt, ut inde illa parte qua plus valent, ſua ſponte cadant. Quoniam itaque ingenio non armis debiles ſunt, bellum cum illis ab illa parte gerendum eſt. Primo omnium fortuna, aut occaſio cum ſe offert arripienda eſt: velut illa quæ modo nominatum Franciſcum & Germaniam Carolo V. in manus & poteſtatem dederat, ultro oſtendit, quo pacto illos æmulos ſuos repellere poſſet: arma enim victricia in Galliam intuliſſe, & auxilio Germanorum faſtum Gallorum repreſſiſſe, primo impetu oportuit. Dico auxilio Germanorum: nam ii, ut ferociores, ſemper antidotum ferociæ Gallorum fuere. Vnde Franci,

Nor-

Normanni, Sueci, Gothi, Dani, & alii Septentrionales exteri, plerumque minus Septentrionalibus Francis aut Gallis ſuperiores fuere. Sic igitur horum auxilio Galliam illico invadere Carolus V. debuiſſet. Poſtque illorum arcibus & munimentis Hiſpanos impoſuiſſet, legeſque & tribunalia illorum Italis temperaſſet, & Galliam ſibi aut prorſus ſubjugaſſet, aut Regulis adminiſtrandam dediſſet, ſeque caput Chriſtiani orbis declaraſſet. Sed is ad futile affinitatis remedium confugit, vicinum æmulum comitate demulcere malens, quod niſi cum remotis non faciendum eſt, minimeque omnium cum tam potentibus regni æmulis. Nam Galli ante Hiſpanos viam ad univerſalem Monarchiam affectarunt, poſtque illis inviderunt. Secunda occaſio continendi Galliam ne Hiſpaniæ nocere aut obſiſtere poſſit, oblata fuit Philippo illius filio, ſi modo sciviſſet prehendere illam & retinere. Nam Henrico III. prætextu religionis à Dominicano quodam occiſo; toto jam Regno in Catholicos & Hugenotas diviſo; multis jam provinciarum gubernatoribus præfecturas ſuas in poteſtate habentibus, velut Momorantio Septimaniam, Eſpernonio & aliis alias; jam Valeſiorum ſtirpe extincta, ingenti de novo Rege aut eligendo aut non eligendo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

gendo, orta controverſia; Navarræo denique ob hæreſin in odium Catholicæ plebis & nobilium partis adducto; Philippus tum quinque occaſiones habuit, quarum ſingulæ ad vincendum ſatis fuerunt, aut ſaltem ad enervandum Galliam, ut taceam de omnibus ſimul concurrentibus. Tamen, ſi verum fatendum eſt, non per illum ſtetit, quominus id faceret: vidit enim, ſi aperte rem exequi vellet, magnis copiis militaribus, (quas vero tunc temporis non habebat,) opus eſſe, ad dividendos, & in ſe mutuo irritandos nobiles illius regni. Primo igitur Guiſio, vel Meduanio, aut ſimili alicui præpotenti, clam promittere debuiſſet, ſe eum Regem facturum, & in generum ſibi adſciturum; cæteriſque ſpem facere, quemque ſuæ provinciæ proprietarium futurum, Septimaniæ Momorancium, Eſpernonium Provinciæ; aliis vero dominia alia promittere quod quiſque affectaſſet: hiſque omnibus ſuppeditandas eſſe pecunias quibus contra Navarræum ſubſiſtere poſſent. Ineundum inſuper fœdus quoque fuiſſet cum Papa, & reliquis Catholicis, ut junctis omnium viribus Navarræum religione ab illis diſſentientem oppugnarent: Præter hæc omnia Epiſcopi & concionatores Galli ampliſſimis honorariis & præbendis ad hoc idem illi-
ciendi

ciendi fuiſſent. Quibus omnibus perfe-ctis, Regi ipſi, aut ſi ipſe noluiſſet, per filium, aut Parmenſem, Gallia ingenti centies ad minimum mille hominum, exercitu, ex Germanis, Italis & Hiſpanis conflato, invadenda fuiſſet; continuoque emittendi qui per Sabaudiam, Navarriam & Piccardiam excurſiones in Galliam facerent. Hæc vero omnia ſumma ſolicitudine in opus deducenda fuiſſent: ſic enim certo viciſſet, & Galliam aut ſuo regno adjeciſſet, aut in plures baronias & reſpublicas partitus fuiſſet, more Germaniæ; ſicque nihil mali ab illis pati potuiſſet. Verum Philippus non ſatis approperabat; præterea à nobilibus Gallis, qui fere omnes ad Navarræum tranſierunt, eluſus fuit; quod, ſi ille feſtinaſſet, nunquam eveniſſet. Sic enim fieri ſolet, ut unuſquiſque primo ſui proprii, & tunc demum communis commodi cauſſà in ejuſmodi turbis exſtimuletur. Hic vero cum ſinguli viderent, bonum publicum conſiſtere in ſingulorum bonis, & viceverſa, elegerunt id quod publice prodeſt. Sicque licet nobiles illi ab initio nummis regis Hiſpaniarum & pollicitationibus ingentibus velut præſtricti, accenſi fuiſſent, ad rem in factum deducendam: tamen perſpicientes in fine, corona amiſſa aut diſcerpta, ad ſe ipſos ſigillatim redun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

daturum damnum, dum Rex Hiſpaniarum poſtmodum ſingulos ſibi ſine ulla difficultate poſſet ſubjicere, ipſis diviſis ad defenſionem ſui expedire ſe haud valentibus: & vero Galliam ipſam, tantopere ab omnibus gentibus laudatam, contemptui iiſdem futuram, ſibique omnibus aditum ad coronam interclusum iri, futurumque adeo, ut ab Hiſpanis deinde etiam irrideantur; magis è re ſua eſſe duxerunt, fovere partes Navarræi. Quæ ſane ſtatim à principio, ineſcati ſcilicet ac decepti falſa ſpe pecuniarum Hiſpanicarum, non ita perpendiſſent, ſicut demum in fine fecerunt; poſtquam ſcilicet exitum animo prius, deinde & Regis modum agendi oculis perſpexerunt; ac tum demum artem arte eluſerunt. Præterea Galli perſpicientes incommoda ex bello Hiſpanico prognata, libentius & promptius ad creandum Regem proceſſerunt; quod perſuaſum ſibi habuerunt, electo Rege mala etiam illa ceſſatura, quæ ipſi ab initio parvi duxerant. Cæterum rex Hiſpaniarum alium adhuc errorem circa hanc rem commiſit, quod cunctatione ſua Navarræo ſpatium dedit, Principes Italiæ Papamque ipſum ſibi conciliandi, & in partes ſuas traducendi, faciendo illis ſpem ſe abjurata religione Catholicum futurum: proſpexeruntque

Prin-

Principes illi animo, ſe Hiſpanis Imperii univerſalis avidis, ſubjugata Gallia prædæ expoſitum iri. Hæc eadem cunctatio fecit, ut Hiſpanus lucraretur minus, dependeret vero plus; atque etiam, tanquam alienis inhians, odioſus redderetur. Adeo verum quidem eſt tritum illud, Nullum locum inexpugnabilem eſſe in quem aſinus auro onuſtus intrare poteſt: ſed illud addendum, illum aſinum aureum, vel auro onuſtum, multos equos ferro oneratos ſubſequi debere; ut civibus in illo pendendo & numerando occupatis, tu interea ferro adoperari poſſis ad domandum & ſubjugandum illum locum. Adde quod & Capitanei Hiſpani cum Capitaneis Gallicis colluſerunt, & pro lucro non pro victoria dimicarunt: idque contigit propterea, quod Rex ipſe aut filius Regis præſens non fuit. Parmenſis præterea ſtatim in primordio belli non auſus fuit ſine juſſu Regis rem in caſum dare: quo datum eſt tempus Navarræo nobilitatem Gallicam, quam Hiſpani nummis ad ſe ſeduxerant, virtutis ſuæ militaris opinione ad ſe revocare. Qui in hoc imitatus eſt fortiſſimos illos Principes, qui ſat habuerunt, plebe omiſſa, nobiles ſolum ad ſe pertrahere. Id quod Polonis, Perſis atque Gallis in more poſitum eſt. Et quia nobiles nimis ab-

jectum putant, pedeſtrem militiam ſequi, inde factum, ut illæ ipſæ nationes equitatu ſemper præpolluerint; peditatu contra ſemper poſteriores tulerint. Quandoquidem autem res in eum locum jam reducta eſt, ut rex Galliarum, ſuorum Papæque animos ſibi devinxerit; in eoque plus gloriæ acquiſiverit, quam ſi de ipſo Hiſpaniarum rege victoriam reportaſſet; ideo verendum eſt, ne ille ipſe aliquando etiam partem aliquam Hiſpaniæ occupare conetur. Eſt enim ingenio inquieto, neque Galli morari poſſunt dum regionem aliquam recens occupatam ſibi confirment, ſed ſemper progredi conantur: idque hic tanto magis, quod ille facultatibus exhauſtus, neceſſe habeat aliunde rapere quo ſuos remuneretur. Vnde neceſſarium eſt, fines Hiſpaniæ, Ducatumque Mediolanenſem, præſidiis & munimentis firmare, probeque obſervare regulas ſequentes: quarum prima eſt, ut amicitiam contrahat cum æmulis ſuis Gallis: Secunda, ut impediat ne illis ab Anglis aut Italis auxilium feratur: quod utrumque una eademque via confici poteſt: ſi ſcilicet Papæ perſuadeat, regem Galliæ hæreticis opitulatum ire, quodque Italiam ſemel modo ingreſſus, hæreſeos ſuæ virus ubique ſparſurus ſit; quodque Hetruria & Venetorum ditio primo

mo

mo ſedes belli, deinde prædæ illi futuræ ſint. Agat igitur cum Papa, ut interdicat illi, ne amicitiam cum Regina Angliæ contrahat, neve cum reliquis hæreticis, quales ſunt Genevenſes, Helvetii, & Rhæti hodie Griſones dicti: hi enim plurimum illum adjuvare poſſent. Iuramento etiam illum adſtringat, ad tranſeundum in Terram Sanctam, ibique Chriſtianam fidem cum Italis propugnandum. Sed optimum foret, ſi unio inter primores Galliæ & Italiæ fieret, tranſmitterenturque in Græciam; item alia Vnio domus Auſtriacæ ſolius contra hæreticos. Nam Principibus Chriſtianis hoc modo diſtrictis & diremptis, Neapolis cum Hiſpania & Ducatu Mediolanenſi non haberent quod formidarent, ſed ab omni parte ſecuri eſſent: atque interea Hiſpaniarum rex vias diſpicere poſſet expugnandi Belgium, qua victoria & militari robore perculſi illi modo nominati, nunquam auderent ſe illi opponere, etiamſi victores totius Aſiæ redirent. Etenim licet Pompejus in Aſia victoriam obtinuerit, Cæſari tamen Belgicas domanti haud par fuit: ſiquidem Belgæ ob ferociam militarem Cæſari multo plus negotii faceſſiverunt quam Aſiatici Pompejo, qui propterea etiam potentia fuit Cæſare inferior. Quod ſi vero contin-

gat jam, ut Henricus IV. diem ſuum obiret; quippe qui jam in declivi ætate eſt, nec ſucceſſorem aut uxorem habet; atque etiamſi duceret, ac filium decedens relinqueret, impubes tamen ille foret, ſicque Condæus aut hæres, aut adminiſtrator regni fieret, cujus majores hæreticorum Gallorum ſemper duces & authores fuerunt, immane quantum ſanguinis Catholici profundentes; tum, inquam, opus profecto eſt, ut rex Hiſpaniarum norit prehendere occaſionem iſtam, proponendo Catholicis ad perpendendum, conſultumne ſit ut Condæus, vel Catholicus factus, Rex fiat, cujus pater tantam crudelitatem in Catholicos exercuit, quam hic cum lacte nutricis ſimul ſuxit. Procurandum illi item eſt, ut, ſi minus ſuccedat ut Regnum Galliæ in partes diſcedat ac dividatur, ſaltem id electione cuipiam detur. Aut denique artes ſupradictæ inſtituendæ cum celeritate; quæ in Philippo fuit deſiderata. Et modus ille eligendi Regis, ſub conditione ſi ſit Catholicus, Italis multo gratiſſimus foret: in quem etiam principes Galliæ Catholici ipſi libenter conſentirent; quod quilibet inde ſpem hauriret ad coronam perveniendi Quod ſi contingeret, Galliarum vires multum infringerentur: Nam ſede vacante graviſſimæ & longæ diſcordiæ

obo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

oborirentur; fierique poſſet ut rex Hiſpaniarum vocatus ab aliquo ſe admiſceret. Deinde quia reges electitii de propagandis imperii finibus plerumque parum ſoliciti ſunt; cum ſciant, filios ſuos ſucceſſores non eſſe; ideoque nec periculis pro aliis ſe objicere velint. Hæcque unica cauſſa eſt, quod Imperatores Germaniæ nunquam de acquirendo laborent; neque rex Poloniæ; niſi ſit animo valde bellicoſo, quales fuerunt Stephanus & Sigiſmundus cognomento Battorius, qui cum Moſcovitis, Tartaris, & aliis de Principatu Boruſſiæ aliarumque terrarum decertarunt, quod ſperabant, filios ſuos in illis ad minimum ſucceſſuros. Iſta ars prodeſt quoque ad militarem gloriam acquirendam, ipſamque patriam ſibi ſubjiciendam victoriarum magnitudine, & militum propriorum favore; quod ſuperius dixi Imperatori Germaniæ faciendum eſſe, ad imitationem Iulii Cæſaris. Veruntamen aſtutia hæc cognita à Gallis, fecit, ut omnem acquirendi cupiditatem depoſuerint, vitandæ illi ſuſpicioni. Atque hæc ſuſpicio in cauſſa eſt, quo minus Veneti Duces ſuos in militiam mittant, malintque uti miniſterio Capitaneorum peregrinorum, parvo lucro contentorum. Nam in re illa haud parum periculi adierunt, ſub Carmagno-

la & Ludovico Vrſino. Et Franciſcus Sforza miles Venetorum mercenarius, victor domum reverſus Ducem ſe fecit Mediolanenſium. Ob eandem hanc cauſ-ſam Tarquinios reges ſuos ad id uſque temporis electitios faſtidierunt Romani: hocque ipſum Ducem Athenienſium Florentiæ electum peſſundedit. Nec tamen occaſio Gallos inter ſe committendi etiam hodie deeſt. Nam etiamſi quies illorum ab exteris minime interturbatur, tamen quietis impatientes contra ſeipſos inſurgunt, vel ſub ſolo prætextu hęreſis Calvinianæ, novique neſcio cujus Euangelii; quod ubicunque annuntiatur, non lætitiam, ſed luctum infert, non pacem, ſed horrenda bella; animoſque hominum non bona voluntate, ſed furore & rabie complet. In tempore igitur huic malo obviam eundum eſt, quandoquidem lues hæc jam ultra ducenta millia hominum in Gallia infecit: nam ſi latius ſerpſerit, atque etiam nobiles & primores regni corripuerit, verendum eſt, ne Galliæ negotii affatim faceſſat: id quod Germania jam patitur, ſub Ducibus Saxoniæ, Haſſiæ, & aliis. Nam, ſicut videmus, regna nobilibus hominibus abundantia, immortalia quaſi fieri: id quod in Gallia & Perſia clare videtur: (nam Gallia olim ab Anglorum rege propemo-

dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

dum tota occupata, induſtria & opera equeſtris ordinis priori & nativo ſuo domino reſtituta eſt: & Perſia modo à Tartaris, modo à Saracenis vexata, per nobiles tamen defenſa eſt, quo minus ſub illorum poteſtatem caderet: ita viceverſa illa eadem propter magnates abominando interitui obnoxia ſunt, cum illi ſubſidium & refugium promptum ſint hominibus rerum novandarum mutandæque religionis ſtudioſis.

CAPVT XXV.

De Anglia, Scotia, & Hibernia.

QVamvis Anglus minime omnium Monarchiam Vniverſalem affectare videatur; tamen, Hiſpaniæ illud molienti multum obſtat. Cujus rei Iſabella Angliæ dicta Regina exempla dedit; in Belgio contra regem Catholicum, in Gallia contra regem Chriſtianiſſimum, corruptos in utriuſque ditionibus humores fovendo, hæreticoſque conſiliis & auxiliis juvando. Habet enim inſulam navibus & militibus abundantem, quæ quicquid Hiſpania in Septentrione habet, deprædantur, atque uſque ad Mundum Novum evagantur: ubi quamvis propter munimenta littoribus impoſita fundare regnũ nequeunt, tamen damnum haud mediocre illi inferunt. Nam Draco ille Anglus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

glus gyrum orbis univerſi, quod Magalanes ante illum præſtitit, plus ſemel circuivit: poteſtque accidere, ut regnum Bacalaos Anglis vicinius, & ob cœli temperiem commodius, aliquando ab illis occupetur. Certo conſtat, regem Hiſpaniarum, ſi ſolam Angliam cum Belgio domare poſſet, totius Europæ magnæque partis Mundi Novi Monarcham cito evaſurum. Et quia ille inſulam hanc in poteſtatem ſuam redigere nequit, cum ſitu & hominibus, Hiſpanis infenſis, moribuſque & religione ab illis diſſidentibus plurimum polleat; neceſſe habet ſe defendere, & loca illorum incurſionibus obnoxia præſidiis munire, ne iis in prædam cedant. Sunt vero illa, Brigantinus portus (hodie Corugna) & tota ora maritima Galiciæ, Leonis, Biſcajæ, & regnorum omnium ſub altero Hemiſphærio poſitorum; prout inferius demonſtrabitur. Omnino id agat, ut Anglorum vires infringat: ad quod efficiendum naves Hollandiæ & Friſiæ ſufficerent, ſi nimirum claſſi Anglicæ opponerentur; ut infra palam fiet. Verum cum tantum abſit, ut hoc fiat, ut etiam naves claſſis Hiſpanicæ ab illis navibus ſæpiuſcule damnum patiantur; unicum eſt remedium, ut ingentes claſſes exſtruantur, ponanturque in Corugna aut Vliſſipone; ut cum claſſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Hiſpanica ex India remeat, auxiliatum illi prodeant, eamque deducant; vel mittantur palam, ad Angliam vel Hiberniam infeſtandam, quo illi divertantur ab inſidiis Hiſpanis ſtruendis. Et quia rex Hiſpaniarum imperium maris obtinet, omnino requiritur, ut multas urbes ligneas, id eſt ingentes claſſes extruat, ut extra periculum ſit perdendorum Novi Mundi theſaurorum. Vtile etiam foret, vel integro millione auri ſtrenuiſſimos quoſque Hollandos conducere, ut in mari ſeptentrionali tutarentur claſſem regiam: vel etiam tranſigere cum iis populis, qui in re militari nautica ipſis Anglis magis exercitati ſunt, nempe cum Dantiſcanis, intercedente Polono affine Auſtriacorum, item cum Gothis, Suecis, Finlandis, reliquiſque populis Scandinaviæ, Daniæ, Pomeraniæ, & Boruſſiæ, ut vel Anglis ſe opponerent, vel inſulas illorum, vel etiam Angliam ipſam invaderent, ut illos à claſſe Hiſpanica invadenda diverterent; aut, ſi mallet rex, ut ipſam claſſem Anglicam bello adorirentur. Si, inquam, tanta mercede prædictas nationes illiceret, atque inſuper ſpolia Anglis erepta illis largiretur, facile obtineret quod vult: taliſque inimicitiæ ſemina ſemel ſparſa, latius evagarentur, neque unquam enecarentur. Itaque mihi quidem videntur nummi ſoli ſuf-

li ſuf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

li ſufficere, ad diſcordes illos inter ſe efficiendos. Et certum eſt, Angliam nullas gentes tam timere, quam illas modo dictas; propterea quod ferociores, populoſiores, & in mari potentiores ſint ipſis Anglis. Nam Hiſpania, niſi certa arte, ſe illi opponere nequit: cum ſit magis experta in illo mari, pluresque homines aſtutos & ſedulos nutriat: quæque mari ſimul & terra munitiſſima eſt; Hiſpaniæque infenſiſſima, ob diverſitatem religionis; nec non jus quoddam in illud regnum propter lineam Caſtilianam, per domum Lancaſtriam ductam: quin & reges priores Angliæ, Eboracenſis aliarumque familiarum conſanguinei fuere. Iam vero ad enervandos Anglos nihil tam conducit, quam diſſenſio & diſcordia inter illos excitata, perpetuoque nutrita, quod cito occaſiones meliores ſuppeditabit. Ad religionem regionis quod ſpectat, obtinet quidem Calviniana, attamen moderata nec tam prava, ut Genevenſium eſt: quæ tamen facile reſtingui non poteſt, niſi aperiantur ſcholæ in Flandria, quæ gens cum Anglis multum commercii habet: interventuq; illarum ſpargantur ſemina ſchiſmatum in ſcientiis naturalibus, Stoicis videlicet, Peripateticis, & Teleſianis; quibus errores Calviniſtarum fiant manifeſti. Revera enim illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

illa ſecta politicæ è diametro contraria eſt: ſiquidem docent, hominem ſive bene, ſive male agat, impulſu divino id omne agere: quod Plato contra Homerum, omni ſaniori politicæ adverſari demonſtrat: quæ vult, quod homo liberum arbitrium habeat bene vel male agendi, ut ita præcepta obſervare vel non obſervare penes nos ſit, indeque præmia aut pœnas expectemus; quemadmodum in Dialogo meo Politico breviter ad oculum demonſtravi: nullis videlicet uſus ambagibus verborum; in quibus illi poſt hæreſin facti quidem ſunt ſubtiliores: tamen cum novarum rerum valde ſint avidi, facile mutantur. Quantum ad dominia & privatas facultates ſpectat, Angli inter ſe agunt diviſi, unde facile aliquando occaſio oriri queat. In Hiberniam enim & Angliam partiti ſunt: hæcque rurſus in Angliam & Scotiam: Scotiaque ipſa multas inſulas habet minores, Orcades dictas. Vnde etiam ſemper duo reges fuerunt, unus Angliæ, alter Scotiæ; quique ob nimiam vicinitatem fere ſemper bella ſibi mutuo intulerunt, cum ſolum unico rivulo, & montibus aliquibus diſterminentur. Verum hodiernus rex Scotiæ Angliæ regno imminet, tum jure ſucceſſionis, (mater enim hujus, Henrici VIII. Angliæ regis Elizabethæ hodiernæ

patris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

patris, neptis fuit,) tum propter vicinitatem; &, ſi verum fatendum eſt, neminem propiorem habet regnum hoc. Ergo prope jam eſt, ut poſt obitum Elizabethæ modo dictæ, quæ jam provectiſſimæ ætatis eſt, regnum Angliæ ad æmulos ſuos Scotos derivetur. Huc accedit, quod optimates, qui conjunctim illorum lingua Parlamentum vocantur, in magna poteſtate ſunt; adeo ut videantur velle ſtatum oligarchicum, vel optimatum, inſtituere, ad imitationem Hollandorum: nam populi Septentrionales quaſi natura impatientes ſunt imperii abſoluti; atque reges Angliæ Senatui aut Parlamento ſemper ſubjecti fuerunt: niſi quod poſterioribus annis obtentu novæ religionis liberius imperium acquiſiverunt. Verum anterioribus ſæculis totum regnum Angliæ in quatuor minora regna diviſum fuit, ſicut & Hiſpania in plura, quæ tamen ambo poſtea in duo regna contracta ſunt: verum Angliæ regum poteſtas ſemper minor fuit quam illa Hiſpaniarum. Igitur à rege Hiſpaniæ ſubordinandi ſunt mercatores Florentini ſagaces & circumſpecti, qui Antverpiæ negotiantur, & Anglis minus inviſi ſunt quam Hiſpani, qui agant clam cum Anglis priorum regum aliquo modo poſteris, & promittant ſingulis ſeorſim, cæteriſque ignorantibus,

tibus, quam maxima Hiſpanorum auxilia, quibus in majorum ſuorum locum aut plane, aut ex parte ſaltem, reſtituantur: hoc ſolum ab illis ſtipulantes (quo colorem negotio dent) ne conferant vires ſuas ad claſſem à Mundo Novo remeantem invadendum: hoc enim modo ſinguli ſpe inflati Scoto litem & de regno controverſiam movebunt. Mittat etiam Rex ſecreto ad Iacobum regem Scotiæ, pollicens & ſpondens illi omne auxilium ad obtinendum regnum Angliæ, ſub conditione ſi ille Catholicam religionem, cujus amore Maria Stuarda mater ipſius vitam & ſanguinem profundere non detrectavit, revocet, aut ad minimum, ut dictam claſſem Hiſpanicam malo non afficiat. Verum ab alia parte inſtiget primores Comitiorum aut Parlamenti, ut Angliam in formam reipublicæ reducant: crudelem enim fore Scotum, ubi ſemel imperium in illos obtinuerit, tenentem alta mente repoſtum, quanta injuria Angli Scotos ſuperioribus illis annis affecerint. Præterea ſuſpicionem incutiat amicis Elizabethæ ſæpius iis inculcando, fore ut Iacobus in amicis Elizabethæ cædem maternam vindicaturus ſit, cum nullum illa ſui ſanguinis relictura ſit in quo ultionem exercere poſſit: præſertim cum Maria ipſius mater moriens

riens ei religionem Catholicam & ſuæ cædis vindictam ſerio commendaverit. Exaſperandi etiam ſunt animi Epiſcoporum Anglicorum, proponendo illis, Regem Scotiæ Calviniſmum amplexum eſſe ſpe & cupiditate regni, adactumque vi à baronibus hæreticis: quod ſi vero regnum Anglię etiam obtineat, tum illum cito priorem religionem revocaturum eſſe, quandoquidem non ſolum mater defuncta, verum etiam rex ipſe Galliarum ſummopere ei illam commendarint. Quibus modis fiet ut ſemina belli inexplicabilis inter Angliam & Scotiam jaciantur, ita ut neutra ſpatium habitura ſit ad diſturbandas res Hiſpanicas: vel, etiamſi rex Iacobus regno hoc potiatur, ut tamen futurus ſit amicus Hiſpaniæ: aut ut inſula tota in plura dominia dividatur: aut ut regnum illud electitium fiat: (qua ratione Rex illius minus ſolicitus erit de acquirendis aliis regionibus & cum Anglia conjungendis; neque, ut maxime velit, id perficere valebit, ſicut jam oſtendi cum de Gallia mihi ſermo fuit;) aut vero inſula hæc reducetur in formam reipublicæ quæ perpetuas inimicitias cum Scotia gerat; actioneſque ſuas non niſi lente perficiet, eoque minus damni Hiſpaniæ inferet. Animi etiam Catholicorum è ſomno quaſi excitandi ac ſtimulandi

landi

landi ſunt: ſic Hiſpanus, quam primum thronus vacabit, prætextu juvandi illos intrabit in Angliam. Conſilia etiam ineat cum quibuſdam magnatibus, qui circumjacentes inſulas in ſuam poteſtatem redegerunt, & efficiat ut abſolutum & plenum imperium in ſuis quiſque locis conſequantur, ſegregentque ſua conſilia à conſiliis Anglorum: quod jam olim quoque factum fuiſſe legimus. Tentandi quoque ſunt principes Hiberniæ, ut, defuncta Regina, ſtatum reipublicæ aut regni particularis inter ſe forment; auxiliaque ſingulis ſeorſim promittenda; idque tanto magis, quod in regno illo, ſeu inſula, Catholici, maxime monachi Ordinis S. Franciſci, ſummopere deamentur. Eſt etiam Hiberniæ major convenientia cum Hiſpania, quam cum Anglia, ſeu ob ſimilitudinem morum, ſeu ob clima & vicinitatem locorum. Suntque inibi multi homines vagabundi, patria profugi, imperiique impatientiſſimi, & tamen boni Catholici, qui bona ſervitia in hoc genere, quemadmodum jam oſtenſum, præſtare poſſunt. Sed hoc genus hominum etiam in Anglia & Scotia rarum non eſt. Hæc & ſimilia longa manu præparari poſſunt, ut, mortua Elizabetha ſine mora in actum traducantur. Norunt quippe omnes quanta bella inte-

ſtina, quæ alterationes & mutationes in Anglia diverſis temporibus fuerint. Ita ut quod propoſui, minime novum aut impoſſibile futurum ſit.

CAPUT XXVI.

De Polonia, Moſcovia, & Tranſſylvania.

REgnum Polonicum noſtro tempore omnium regnorum Septentrionalium potentiſſimum eſt: adeo ut, ſi per diverſitatem religionis in ſe diviſum non eſſet, regnumque hæreditarium, atque rex ex indigenarum & non extraneorum numero eligeretur, Turcarum Imperatori metum ſatis magnum incuteret; præſertim, ſi cum Magno Duce Moſcoviæ ſe conjungeret. Verum Palatini illius regni, penes quos electio, potentiam Regis metuunt, & ob hanc cauſſam frœna illi magis attrahunt. Quare providendum eſt regi Hiſpaniarum, ut non niſi Catholicæ religioni addictus inibi in regem aſſumatur, ſicut ad hunc uſque diem obſervatum eſt: nam diverſæ religionis rex facile induci poſſet, ut autoritatem ſuam hæreticis Septentrionalibus impertiret, qui in his duobus omnes conveniunt, (licet in aliis omnibus fere diſſentiant,) Papam videlicet eſſe Antichriſtum, &, Auſtriæ Archiduces eſſe Antichriſti propugna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

pugnatores. Quare ob quamvis etiam minimam cauſſam facile contra Papam, & vicinum ipſis Imperatorem conſpirarent, ſi potentem aliquem authorem & ducem nanciſcerentur; quod ſolus Poloniæ rex præſtare poteſt. Nam Danus debilis eſt; & Suecus nimis eſt diſſitus, marique à Germania diviſus. Deinde neceſſario incumbendum eſt in id, ut unus ex domo Auſtriaca ad ſceptrum Poloniæ admoveatur; vel, qui ad minimum domui Auſtriacæ affinitate conjunctus ſit, qualis eſt hodiernus. Poſtremo, ut ſemper Turcis confinibus ſuis opponatur, fœduſque cum Moſcovitis in perniciem Turcarum ineat quibuſcunque rationibus poteſt. Præter hæc ſagaces & illuſtres legati Cracoviam ablegandi ſunt, qui authoritatem & pondus unioni Hiſpanicæ addant penes electores Polonicos; impetrentque ut, ſi quando plures filios Rex Hiſpaniarum habuerit, unus ex iis natu minor in regem Poloniæ eligatur: nam hic nunquam tam fatuus erit, aut inſipiens, ut conetur regnum Poloniæ pro ſuo arbitrio regere; id quod conatus eſt filius regis Galliarum. Inſuper agendum cum populo Scandinavenſi & Dantiſcano, interveniente rege Polonorum, qui & Suecorum, ut claſſis contra Anglos in mare deducatur: de quo ſupra.

Sic enim rex Hiſpaniarum tanti ſumptus dimidiam partem non expendet, quantum lucri inde ad illum redundaturum eſt. Danda eſt etiam opera, ut Tranſſylvanus ſimili modo fœdus ineat cum Polonis, vel, ut ipſe, aut Moſcovita, rex Polonorum creetur. Nam cum hi non ſolum vicini, ſed etiam natura Turcis infenſi ſint, facile illis poterunt frœnum injicere. Ego equidem perſuaſum habeo, nullam majorem vim Turcis à Septentrione opponi poſſe, quam Moſcovitarum; qui conjuncti cum Tartaris & Polonis Byzantium uſque excurſiones facere poſſunt. Neque Macedonia, aut Moldavia, aut Bulgaria, vel Thracia, unquam plus damni ab ulla gente paſſæ ſunt, quam à Moſcis. Si connubii quoque, aut religionis vinculo, pronubis ſcilicet Ieſuitis, rex Hiſpaniarum cum Moſcovita ſe jungeret, magnam utilitatem inde conſequeretur: quia aurum Hiſpanicum plus ponderis apud has gentes habet, quam quævis alia res. Laborandum autem eſt omni modo, quam primum animi illorum propenſi ſunt, ut inſignis aliqua expeditio ab illis fiat, antequam ipſos pœnitere incipiat: quoniam ſemper Hiſpanis mora pernicioſa fuit, quia aſtutia illorum ſociis intra cunctationis tempus ſuboluit: atque ita ſupervacaneas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

& inutiles expenſas facere ſolent. Bohemi, cum Tranſſylvanis Regis Hiſpaniæ ac Papæ collatitia pecunia contra Turcam in armis foveri poſſent, quia cum domo Auſtriaca concordant. Tamen, utut hoc ſit, nunquam quicquam magni momenti in hac parte effectum dabitur abſque auxilio Polonorum & Moſcovitarum; & ſi Imperator ipſe bellicoſus non ſit: ut ſupra cum de Germania loquerer, dixi; atque principiis omni conatu obſtet: ſiquidem mala per longas invaleſcunt moras.

CAPUT XXVII.

De Belgio, & Germania Inferiori.

REx Hiſpaniarum non immerito omnibus modis Germaniam Inferiorem rebellem recuperare conatur: in cujus partem quam adhuc poſſidet plus ſanguinis humani impendit, quam aquæ illius ſunt, conſumpſitque plus auri, quam lapidum ibi ſunt. Neque hoc adeo mirum eſt: cum univerſi orbis terrarum dominus nullo negotio evadere poſſet, ſi unicam hanc regionem prius in poteſtatem ſuam redigeret: nam Gallia & Germania volentes nolentes cito ſequerentur; ipſaque Anglia peſſumdaretur; atque omnes Septentrionales populi enervarentur, atque inutiles ad reſiſtendum redde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

rentur. Videmus enim Cæſarem Belgis à ſe victis, omnem Septentrionem parvi feciſſe; & inde in Angliam tranſgreſſum eſſe. Equidem nulla oportunior aut major potentia eſt ad opprimendam claſſem Anglicam, quam potentia Hollandiæ & Zelandiæ; nam hæ non ſolum navium numero, ſed etiam experientia maritima omnes alias gentes multis paraſangis antecedunt: ut taceam jam de ferocia & divitiis gentium harum. Habent autem diverſas civitates & urbes in ipſa aqua extructas, ad modum Venetiarum; è quibus Anglos devincere, & claſſem Novi Orbis tutari, atque ſic colonias eo deducere, & debellatis multis populis, mercaturam libere exercere poſſet. Omne igitur modo providendum eſt Hiſpaniæ, ut hac in parte vincat: quod quidem per incogitantiam gubernantium redditum eſt difficile factu. Quare operæ pretium duco, recenſere errores ab Hiſpanis in hac re commiſſos, ut in poſterum cautiores eſſe diſcant: quin etiam ſubtiles rationes & modos oſtendam, quibus populi illi devinci poſſint; quandoquidem ingenium Septentrionalium natura proclive eſt ad libertatem licentioſam: ita, ut nullus unquam Princeps imperio illos regere potuerit, ſine artibus politicis, & remiſſione quadam authoritatis ſuæ: quia illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

illi ob naturalem fœcunditatem multi numero ſunt : omnis autem multitudo difficulter compeſcitur: ſunt etiam ingenio truces , utpote ſub frigido cœlo prognati:cujuſmodi homines calidum naturale infra ſe concluſum ſervant , nec cum partibus ſubtilioribus emittunt ; unde ſanguine abundant, fiuntque corpulenti, & ſpirituum pleni, forteſque , & Bacchi quam Veneris magis amantes ; habentque propter inſitam ſibi fuliginem cogitationes interruptas , & propter copiam ſpirituum ad omnem licentiam ſunt effuſi, ſuſpicaces , & , ob ebrietatem parum graves. Tum etiam populi Septentrionales (non loquor de illis qui extremas oras Septentrionis incolunt)animoſi ſunt citra omnem aſtutiam : Meridionales contra aſtuti & ſubtiles , ſed meticuloſi ſunt. Septentrionales convenientem cum animis corporum diſpoſitionem habent; magni ſcilicet ſunt & craſſi , ſanguineque ac vigore repleti : Meridionales contra ſubtiles & ſicci, fugæ aptiores , quam pugnæ ſtatariæ. Illi animo non fucato & ſimplici ſunt : iſti moribus ſubdolis & malitioſi ſunt. Illi leonis , hi vulpis pellem induunt. Illi lenti, ſed conſtantes in ſuis actionibus : hi vero impetuoſi & leves ſunt. Illi hilares ſunt , iſti melancholici: illi Baccho,hi Veneri indulgent :

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

illi magnanimi, hi vecordes: illi per licentiam effuſi, hi reſtricti ſunt. Quare leges laxæ illis proponendæ ſunt: nam animi illorum ſolutiores ſunt, quam ut legibus conſtringi poſſint; propriiſque viribus freti dominos ſuperiores non multum curant. Quæ omnia in Meridionalibus plane contrario modo ſe habent, maxime vero in Hiſpanis, qui magis amphiſcii ſunt. Idcirco dixerim ego, illos libertatem religionis eo avidius amplexos fuiſſe, tum quia vino indulgent, compotationeſque & convivia amant; cum leges religionis velint, ut jejuniis & abſtinentiæ vacent; tum etiam quia paſſionibus vehementibus obnoxii ſunt, & minus credunt ſe voluptatibus illis poſſe moderari. Vnde Calvino & Luthero citius ab illis fides habita; quod negarent hominem habere liberum arbitrium faciendi bene vel male, dicentes, Deum ipſum in hominibus bona & mala operari, quod illi credentes perſuaſum habent, ſe nequaquam habere libertatem non bibendi, aut à mulieribus abſtinendi. Adde quod etiam geſtierunt dari ſibi occaſionem opponendi ſe Papæ & Principibus, in quos Lutherus in concionibus ſuis acriter fuit invectus. Qui ſane modus agendi è diametro pugnat cum illo inter alios populos recepto, qui facile viderunt,

quan-

quantas turbas dederit religio recens introducta. Hæreſes inter Meridionales ortæ ſpeculationum plenæ, multum ſubtilitatis continent; ſicut è contrario illæ quæ apud Septentrionales ortæ ſunt, multum craſſitiei. Quidam Meridionalium negarunt divinitatem, alii humanitatem, quidam pluralitatem voluntatum in Chriſto: quidam vero proceſſionem Spiritus S. à Verbo, ſimileſque alias res ſublimes & myſterii plenas. At Septentrionales, omiſſis cogitationibus arduis & ſubtilibus, exploſerunt jejunia, vigilias, pœnitentiam cum confeſſione, & omnia illa dogmata, quæ multiplicationem ſanguinis impediunt: ad quæ accedit etiam cælibatus Eccleſiaſticorum; pluraque hujus generis alia, quæ, quamvis cum ratione & Euangelio probe congruant, tamen carni & ſenſibus humanis, quibus illi toti mancipati ſunt, repugnant. Oppugnatur etiam ab illis authoritas vicarii Chriſti; nam, cum magnanimi ſint, libertatem ſimiliter mordicus retinent. Et quemadmodum in temporalibus per reſpublicas aut principes electitios pro ſuo proprio placito reguntur: ita quoque in ſpiritualibus ſimile imperium deſiderant. Atque quemadmodum apud Septentrionales duces militeſque vi & armis plus pollent, quam aſtutia & ar-

te: ita & Miniſtri ipſorum in diſputationibus plus maledicentia quam ratione valent. Hinc illi ſub prætextu libertatis conſcientiæ libertatem dominandi aucupantur, quæ ipſis magis placet. Vnde primo omnium in illo erratum eſt, quod Lutherus in Comitiis VVormatienſibus & Auguſtanis vivus dimiſſus fuit. Quod quamvis, ut quidam dicunt, Carolus V. fecit adductus politica ratione, ſcilicet, ut haberet Papa quem timeret, & conſtringeretur ſemper ab Imperatoris partibus ſtare, adjutans illum uſque pecuniis atque indulgentiis donec ad Monarchiam univerſalem perveniret: pronuntians etiam, omnia bella ab ipſo, jure ſuſcepta eſſe; metuenſque, niſi hæc fecerit, ne Lutheri æmuli ſui partes Imperator foveat: tamen, eventus docuit, id contra omnem rationem politicam factum eſſe. nam Papa enervato, totus Chriſtianus mundus debilitatur, hæreſique ſemel inducta, omnes ſubditi ſub nomine libertatis conſcientiarum jugum excuſſerunt: id quod Germania & Belgium, Carolo ſubditæ regiones, clare teſtantur. Vnde recte concluditur, illum generoſa quadam pietate deceptum fuiſſe, quod ſperavit, ſe Germaniam, quando & quotieſcunque ipſi libuiſſet, una cum Principibus Proteſtantibus, totoque adeo mundo victurum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Quæ imaginatio eundem pariter fefellit in expeditionibus contra Tunetum & Galliam. Quare dico, quod recte quidem promiſſa Luthero ſervavit in ipſis Comitiis: at poſt in domuitione illum eundem opprimere debuiſſet, atque Principes Proteſtantes jam ſuppreſſos prorſus extinguere: ita hæreſis tota etiamnum in herba eradicata fuiſſet, neque Calvinus cum tot aliis ſubſecutus fuiſſet, qui Germaniam utramque polluit; neque Principes Belgii & Germaniæ Inferioris veſtigiis Proteſtantium cautius inſtitiſſent contra Carolum. Alter error in diſtrictu Rheni commiſſus fuit, quod crediderunt, ſe populum illum qui fræna jam excuſſerat, modo moreque Hiſpanorum domituros, introducendo ſcilicet rigidam Inquiſitionem per Albanum. Videmus enim incipientia incendia ventis agitata creſcere magis, non vero extingui. Cum igitur modo nominati ad libertatem conſcientiæ proclamarent, ut hoc prætextu jugum ſervitutis excuterent; nec in primis initiis aut armis, aut arcibus, aut accommodis ipſorum naturæ legibus compeſcerentur; facile illis fuit tantopere dilectam libertatem arripere: hinc in plures reſpublicas ſe diffuderunt, & ſibi ipſi elegerunt duces ad bellum contra Hiſpanos gerendum; factumque ut ingenio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

genioſiſſimus & fortiſſimus quiſque inter illos emergeret, partim concionando, partim pugnando. Inſecuta deinde ſunt contra eos bella Hiſpanorum; quæ populos illos adeo irritarunt, ut ducibus ſuis militaribus authoritatis plus dederint; ſupra alios evehentes VVilhelmum Naſſovium, Aurangiæ Principem, qui ove quidem timidior, at vulpe aſtutior fuit: cui jam ſucceſſit filius, juvenis bellicoſus, & victoriis clariſque factis jam celebris. Hos, cum duces ſe libertatis profiterentur, populus effuſe ſecutus eſt, ſupraque modum exaltavit: atque illi, ut ſcilicet majori odio Hiſpanorum accenderentur populi, Calviniſmum introduxerunt, Papæ & Hiſpanis magis repugnantem, quam ipſa facit morum, corporumque & animorum inter eos diverſitas. Nam Belgæ, ut quoque ſupra dictum, candido colore ſunt, proceri, licentioſi, vinolenti, epulones, impatientes, indiſcreti, ſanguinei & liberales: at hi, Hiſpani ſcilicet, nigri, aſtuti, circumſpecti, ſobrii, continentes, patientes, diſcreti, melancholici, avari, ſeveri & graves, atque, ut uno verbo dicam, plane diverſi: ita, ut impoſſibile ſit, in tanta diſſimilitudine corporum & morum ſimilitudinem animorum introducere, quam ſola unio Religionis & imperii ante ſuſtinebat: qua ſublata, diſſi-
mili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

militudo & inimicitia uno impetu prorupit. Hinc evenit, ut Belgæ jam magis deteſtentur ſervitutem Hiſpanicam, quam propriam ſuam vitam ament; & viceverſa Hiſpani illos ipſo diabolo pejus oderunt, quamvis odium melius abdere queant quam Belgæ: nec tamen deſtiterunt, omnibus peſſimis malis illos afficere, quo ultionem ſuam explerent. Hæc omnia non accurate perpendere, & conſiderare, dominium hoc peſſumdedit. Ex his liquet, Regi non illico ad Inquiſitionem cum illis properandum, nec tributa extraordinaria extorquenda, aut belli metu perterrendos fuiſſe. Sed improviſo modo ſubito valida præſidia magnis urbibus imponenda erant; virique fortes & præſtantes ſeditioſæ civitatis alio ſub ſpecie vocationis militaris tranſmittendi; authoreſque hæreſium eradicandi, in illorumque locum concionatores indigenæ probi & religioni Catholicæ addicti ſubſtituendi fuerant: atque tum demum Inquiſitio introducenda erat opera Epiſcoporum, ſed ſub alio nomine. Poſt quæ etiam ab omnibus tributorum exactionibus abſtinendum fuit, ut palam fieret, per religionem ſalutem illorum quæri, non vero ſolum commodum regis. Imponendi illis etiam erant Præfecti ex Germanis aut Italis; quandoquidem

dem ab Hiſpanis abhorrent: atque hi in cuſtodiendis ſolum, non etiam in regendis urbibus occupari debebant, ſiquidem ſeveri & ceremonioſi ſunt, cum illi remiſſiores & largiores requirant. His erroribus adjuncti fuerunt alii, circa belli adminiſtrationem commiſſi: nam Rex ipſe, quamvis ab illis maxime, ut Germani ſanguinis, armatus, nunquam tamen ipſe in bellum profectus eſt, ſed ſuo loco exire juſſit Capitaneos Hiſpanos, ſævos illiſque infenſiſſimos, & qui in imperiis potius verberibus, quam blandis verbis utuntur. Apparuitque, quod præoptarunt caput ex domo Auſtriaca, ob quam rem Matthiam Archiducem expetiverunt: poſt hunc deinde expetiverunt viciniorem alium, Franciſcum ſcilicet filium regis Galliarum: qui, cum certo quodam die conſtituiſſet, civitatem Antverpienſem ex improviſo opprimere, cum ſuo equitatu, nullo prius fundamento religionis aut politiæ jacto, nec animis ſingulorum præoccupatis; à mechanicis & mercatoribus, ſubito fuit urbe expulſus, atque in tanto tumultu tantum non occiſus, præter jacturam exiſtimationis & principatus. Et quamvis Margarita Auſtriaca his regionibus etiam aliquandiu præfuerit, & quidem cum amore & benevolentia ſubditorum; tamen ſubjuga-

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

re illam nullo modo potuit: quia hæreſis in illa jam radices nimis altas egerat, & quia illi perſuaſum habebant, illam id agere, ut reduceret & ſubjiceret ipſos de novo ſceptro Hiſpanico: quo titulo duces ſeditionis illius primatus & libertatis deſiderium, quo flagrabant, texerunt. Deus tamen ipſe oſtendit poſtmodum viam qua illi vinci potuerunt, cum ipſi per ſectas in diverſas partes diſceſſerunt, craſſi ſcilicet Lutheri, ſubtilis Calvini, diſſoluti Zvvinglii & Mennonis; adeo ut vix ulla domus ibi terrarum inveniatur, in qua non diverſæ hæreſes foveantur: nec aliud deſit nobis, quam ſcientia apprehendendi & uſurpandi tam exoptatam occaſionem. Omne enim regnum in ſe diviſum deſolabitur; & unio firma difficilem ſemper habet nodum: Verum ne hoc quidem adhuc ſucceſſit, non quia illi non offendunt, ſed quia nos offendimus illos. Hocque certum eſt, quod propter diverſitatem religionis nullus illorum tantum fidei proximo ſuo habet, ut audeant ad caput belli eligendum procedere: &, ſi unquam alias, certe hoc caſu illud verum eſt: Quot capita tot ſententiæ. Loquor autem hîc de bello externo, acquirendi cauſſa excitato. Nam unuſquiſque ſuſpicaretur, ne talis dux belli authoritatem ſibi ſumeret omnem religionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

gionem diverſam à ſua extirpandi; univerſique metuerent, ne talis abſolutam in ſe poteſtatem arriperet. Sicque bellum, Mauritio duce ab illis geſtum, animat illos ſolum ad unionem in bello defenſivo, non etiam offenſivo. Iam vero ad poſtremum omnium plura intercidunt mala, quæ impediunt, quo minus Hiſpanus hoc dominio potiatur; quorum unum eſt, quod tales hoſtes in propriis ſuis ſedibus oppugnantur, quibus terra, ſitus & firmitudo locorum, & denique ipſa cœli temperies accommodior eſt; quæ omnia Hiſpanis adverſantur. Secundum, quod gens iſta intelligit, quæ incommoda ex bello Hiſpanico oriantur, nec ſine cauſſa odio proſequitur Hiſpanos belli authores: & certe, *Pax una triumphis innumeris potior.* Tertium, quod Hiſpani quaſi in rabiem acti, quod tot annos ipſis Belgæ reſiſtant, ſi victores evaderent, procul dubio ingentem lanienam efficerent: qui nunc infinitis malis afficiunt miſeros illos, quorum urbes expugnant. Quartum, quod Capitanei Hiſpani pugnant ſolum, ut pugnent, non ut vincant, cauponantes hoc modo bellum, quo imperium defenſum aut etiam propagatum oportuit; quodque hi inter ſe colludunt, ut hac ratione emergant. Nam & ipſe Comes Mauritius, quo diutius

illam

illam authoritatem ſuam retineat, & ut paulatim vincens principatum regionis obtinere queat, trahit bellum: cujus veſtigia & cæteri officiales atque hæreſiarchæ ſedulo ſequuntur. Capitanei vero Hiſpani ducunt bellum, ut ſtipendia illorum cum authoritate prolongentur: faciuntque idem quod Carolus Spinellus in Aprutium contra Marcum Sciarram miſſus fecit: qui cum eo colluſit, nec extinctum voluit; ut Prorex Neapolitanus ipſum continuo Aprutii quaſi dominum relinqueret, mitteretque ampla quæ illi promiſerat, ſtipendia; ipſeque Sciarra ab altera parte maxima eidem dona miſit, ſcilicet ne illum urgeret. Sic ergo duplici accepto ſalario (ab amico videlicet & ab hoſte) dominus regionis illius diu & ſine periculo manſit. Vnde mirum non eſt, quod rex Philippus tantis opibus in hoc bello Belgico profuſis, non modo nihil profecit, ſed hoſtem ſuum etiam magis irritavit, atque in armis exercitatum reddidit, majoremq; virtutis militaris famam æmulo ſuo Mauritio aliiſque militaribus ducibus circumpoſuit; fecitque, ut inimici ſui, ſua ſponte per religionem inter ſe diviſi, tamen metu Hiſpanorum in unione perſiſtant. Facit hoc ut credam, Hiſpaniam hodie plus detrimenti percipere ipſam, & contra Hollandis plus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

boni impertire, quod armis cum illis decertat, quam ſi illos quietos relinqueret. Sic enim Saluſtius & poſt illum Auguſtinus affirmat, Romanos continuis vicinorum bellis vexatos, illuſtriores quotidie extitiſſe, factumque eſſe per tyrannidem Tarquinii & aliorum, ut ſe perpetuo magis magiſque unierint: cum viceverſa ſibi ipſis relicti, crebro bella civilia moverint: donec orbe terrarum ſubacto, & Carthagine ſolo æquata, omni externo metu liberati, per æmulationem mutuam in diverſas partes diſtracti, exitium ſibi ipſis reique publicæ ſuæ peperere: quod demonſtrant exempla Syllæ, Marii, Cæſaris, & Pompeji. Adeo magnum prudentiæ argumentum eſt, vicinos in armis non diu detinere, ne exercitati & ſtrenui evadant. Sic enim Ageſilao à Thebanis vulnerato objectum deinde fuit, meritam ipſum mercedem ab illis reportaſſe, quos diuturno bello arma tractare docuiſſet. Sed ſupremum prudentiæ caput eſt, bellum cum ſubditis minime continuare, præſertim ſi naturales & indigenæ ſint: ſic enim exacerbantur, & magis magiſque avertuntur: & quod ab initio ſimultas tantum fuit, tractu temporis in manifeſtam rebellionem erumpit: id quod Sigiſmundus in bello contra Bohemos expertus eſt. Neque enim ullum populum

pulum videas adeo omnis pudoris oblitum, qui uno & primo impetu in principem ſuum inſurgat; cum rebellionis atque perfidiæ nomen infame odioſumque ſit. Verum gladiis ſemel cruentatis, rupto velamento, & projecta juſtitiæ cura, palam ſe deſciſcere adverſarique oſtendunt. Alexander rex Iudæorum pertæſus diuturni belli, in quo etiam quinquaginta millia hominum perdiderat, interrogavit inimicos ſuos, quo pacto pax bona introduci poſſit; reſponſumque tulit, non alio quam ſua morte: ſicque ſero fecit quod in primordio factum oportuit. Adducerem hic & alia plura exempla in hanc rem, ni mihi à propoſita ſemel brevitate non recedere conſtitutum eſſet. Hinc, ut ad propoſitum meum redeam, obſervatum habeo, illos, qui domi ſuæ pro uxoribus, & liberis, pro aris fociſque pugnant, ſemper fortiores eſſe illis qui regionem externam oppugnatum eunt: nam oppugnatio quæ primo die ad finem optatum perducta non eſt, ſenſim ſit debilior, obſeſſiſque animos etiam adauget. Etenim obſidentes, præter damna bellis involuta per ſe, quæ ſane haud levia ſunt, aër ipſe peregrinus & locus fatigat. Quod, ſi Hannibal intellexiſſet, aut conſideraſſet, & poſt primam ſtatim victoriam apud Trebiam reportatam, Romam

ipſam oppugnatum perrexiſſet, facile tunc totum Romanum Imperium ſolviſſet: aut ad minimum poſt cladem Cannenſem, quæ multo major fuit, Romanis nullum ſpatium novas colligendi vires relinquere debuiſſet, ſed, ſecutus conſilium Maherbalis, ſtatim Romam ipſam adortus fuiſſet. Sic Abſalon etiam, ſi ex conſilio Achitophelis, Davidem ſtatim in primo tumultu oppreſſiſſet, Iudæa tota potitus fuiſſet, neque ſpatium illi reliquiſſet, animum & copias ſuas colligendi, in ſuam ſcilicet perniciem. Populi igitur aut in primordio ſtatim opprimendi, ne vires ſuas conjungant; aut quoquo modo è regione ſua eliciendi ſunt, ſicut Hercules Antæum regem Lybiæ elicuit, quo eum de ſolio ſuo deturbare poſſet: alioqui quo propius terræ appropinquabat, eo plus virium reſumebat; ut docta fabula innuit. Ita ut vanum & abſurdum mihi videatur, Belgas, qui in exordio belli oppreſſi non ſunt, diutius domi ſuæ oppugnare; cum hoc illorum potentiam etiam augeat. Quare, duo remedia adhuc ſuperſunt ad hanc rem: quorum prius eſt, diviſionis ſemina inter illos ſpargere; poſterius, illos de finibus ſuis elicere. Cadmus Thebanum regnum molitus, quo peregrinus acceſſerat, primum Serpentem occidit, quo denotaba-

tur

tur tutela Thebarum: deinde dentes diſſeminavit, id eſt, ſparſit venenum cupidinis rerum novarum, atque ſtudium certatim addiſcendi literas, ſeu ſcientias & artes novas, quas ille ſecum peregre advexerat: inde nati milites, qui ſe mutuo per diſcordias interfecerunt, & quorum reliquiæ cum Cadmo capite & duce ſuo ſe conjunxerunt, regnum Thebarum in Bœotia fundantes. Hæc eadem media regem Hiſpaniarum arripere oportuiſſe ajo, & non diu armis ſolis certaſſe. Et certe, ſi unquam Meridionales in Septentrione aut imperium fundare, aut vincere volunt; quandoquidem vires ad hoc efficiendum illis deſunt, ad artes Cadmi aut Iaſonis confugere debent: quorum tamen Iaſon ſagacior fuit, qui primo Medeam, id eſt, mulierum Septentrionalium corda animoſque ad ſui amorem convertit, quandoquidem illæ viros Meridionales propter inſitum calorem ipſis gratum facile amant: neque Belgæ tantum Hiſpanos oderunt, quantum uxores illorum eoſdem amant. Deinde per incantationes Medeæ ſerpentem, id eſt, cuſtodes regni, (quales ſunt bellicoſi & fortes viri cum concionatoribus) interemit. Poſthæc beſtias, juvencos & tauros ignivomos veneficiis ſuis ſub jugum miſit, id eſt, amicitia & donis barones & nobiles

regni illius ſibi devinxit. Tandem per illos dentes Draconis, id eſt, opera Baronum ſemina diſcordiarum atque inimicitiarum circa religionem, artes, & præeminentias ſparſit. Vnde ultimo prognati milites, id eſt, factiones; (quales fuerunt Guelfi & Gibellini, Pontificii & Imperialiſtæ, item Lutherani & Catholici) in quibus ſe invicem trucidarunt: qui vero reſidui manſerunt, Iaſonem pro capite & Duce ſuo elegerunt; eique, quamvis pauci, auxilium tulerunt ad Aureum vellus, id eſt, tale imperium, occupandum. Doctam hanc fabulam ideo propoſui & expoſui, ut oſtenderem Regi Hiſpaniæ, quid ſibi faciendum ſit, quandoquidem hactenus incaſſum tantos labores ſuſcepit, & tantum militum amiſit, inſtar Cadmi antequam ſerpentem occidiſſet. Nimirum ante omnia Rex ipſe, aut filia vel filius ejus, vel Antverpiam, vel Bruxellas, vel, ſi mavult, Gandavum habitatum eat, ut præſentia illius ſubditorum animi augeantur, tum exteri alliciantur; plane ad exemplum Cadmi, qui poſt cædem ſuorum, ad fontem ſerpentis defenſoris progreſſus eſt. Deinde populis vicinis ſuſpicionem belli Hiſpanici adimat, ſinatq; illos aliquandiu pace & otio frui: & tanta humanitate ſuos tractet, ut exteris id aſpicientibus oculi doleant, accendanturque

deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

deſiderio eadem felicitate fruendi ; & limites ipſius dominii tutandi. Tertio, populis amicis tributum relaxet, neque plus exigat quam regiæ familiæ alendæ, & præſidialibus ſolvendis ſufficiat : ſed in hujus vicem quotannis certum numerum militum è quaque urbe poſcat, quos in Mundum Novum traducat. Maxime vero bellicoſos deligat ; & indidem noxios humores divertens, & alibi contra hoſtes numeros militares ſuppleturus : Præſtat enim à locis quæ hominibus abundent, milites exigere quam nummos: nam hoc regi utilius, & populis ipſis gratius eſt. Quarto, ſingulis annis inſtituat convivium generale (videlicet in ſingulis urbibus opidiſve ſuum peculiare,) certo die, quo quælibet urbs ſponte domui Auſtriacæ ſe ſubmiſerit. In quo quidem convivio minime ſumptibus parcendum : nihil enim populum inter ſe & cum aliis tam conſtringit, quam ſi ad minimum ſemel in anno convivetur & inebrietur : quod primum à Minoë legiſlatore inſtitutum fuit. Quinto, ut Inquiſitionis nomen è medio tollatur ; ipſa vero Inquiſitio ſub alio nomine ab Epiſcopis exerceatur, ſed majori facilitate, & lingua magis quam pavore ; contra quam Romæ aut in Hiſpania fieri ſolet. Sexto, ut ſub nomine expeditionis crucigeræ, indul-

gentiæ & diſpenſationes à Papa quoad jejunia & abſtinentiam certorum temporum impetrentur: bacchationibus enim mire afficiuntur. Septimo, ut præſidia militibus Hiſpanis firmet: ſed regimé commendet ibidem Epiſcopis, Præfecturas vero provinciarum Cardinalibus provectæ ætatis & ſapientia conſpicuis. Poſteaq; nobiles Venetos judices & prætores ordinet: nam hoc modo Itali & Belgæ invicé conciliabuntur, cum ſe mutuo magis ament quam Hiſpanos. Octavo, ut à rebellibus Belgis milites ad externa bella lautis ſtipendiis evocentur; mulieres corrumpantur, raptæq; Hiſpanis elocentur; fœminæq; illuſtres hæreticorum cum baronibus Catholicis conglutinentur: nam, ut ſupra oſtenſum, iſtiuſmodi mulieres hujuſmodi maritorum amori libenter cedunt. mirum vero eſt, quantum principibus conducant matrimonia inter indigenas & victas gentes inita. Nam Alexander M. Roxanem mulierem Perſicam ipſe ſibi matrimonio jungens, & centum alias ejuſdem nationis Macedonibus ſuis in uxores dans, ſummam ſibi benevolentiam apud Perſas acquiſivit, perſuadentes ſibi propter hoc, ſe Alexandrum benignum & facilem dominum habituros. De Capuanis vero Livius ſcribit, quod nihil adeo eos à conjuratione cum

Anni-

Annibale ineunda diu cohibuerit, quam affinitas cum Romanis contracta. Nono, diminuantur capita factionum, inferendo illis bellum à diverſis partibus, diligenſque adhibeatur opera, ut magis magiſque in diverſum diſtrahantur; ſinaſque illos diſcordiis inteſtinis, & invidia mutuæ hoſtium concordiæ & proſperitatis marceſcere. Hic modus, ex incommodo hoſtium ſuum parere commodum multo omnium utiliſſimus eſt: & Elizabethæ Anglicanæ valde uſitatus. Decimo, quia ſola formido ex Hiſpanis, & inprimis deteſtatio Papæ, illos unit, quod omnes magno conſenſu credunt illum eſſe Antichriſtum, quamvis in aliis opinionibus ſint diverſiſſimi; danda eſt opera, ut, metu belli ſublato, illa ſola controverſia publicis diſquiſitionibus ſubjiciatur, à qua omnes dependent. Non argutationes aliæ illis proponendæ, nec frivola alia cum iis tractanda; præterquam illud de vocatione novitatis ſuæ; ut ſupra monui, & de quo ſatis in meo contra illos Dialogo diſſerui. Vndecimo, unanimiter contra illos diſputandum eſt, & ſuſtinendũ omnes commentarios biblicos tam Catholicorum quam hæreticorum, qui unquam poſt tempora D. Auguſtini prodierunt, eſſe ſuſpectos, ſoloſq; recipiendos S. Clem. Rom. S. Cypriani, Clemen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

mentis Alexandrini, S. Chryſoſtomi, Baſilii & Tertulliani: nam hæreſis negati liberi arbitrii, & ſimiles, melius ab antiquis (quibus magis illi addicti ſunt,) quam à recentioribus, (quos odiſſe ſolent,) intellectæ ſunt: quod ex Clemente Romano manifeſte liquet. Ventiletur igitur controverſia de origine mali quæ Epicurum & alios movit, ut negaverint eſſe DEVM, perſuaſerunt enim ſibi, illum, propter malum excludi: alii, ex quorum numero Manes & forte Pythagoras, duos crediderunt eſſe Deos: alii, Libertini ſcilicet, audacter profeſſi ſunt, nihil malum aut peccatum eſſe: alii docuerunt, Deum eſſe cauſſam malorum, atque tyrannum; atq; hujus farinæ ſunt Calvinus, Zvvinglius, Bullingerus, Martinus, Beza; ſcilicet, quo faciant, DEVM facere omnia. Quæ ſane opinio, ut Cicero & Plato etiam docent, omnem bene conſtitutam rempublicam turbat, cum auferat hominibus libertatem bene vel male faciendi, omnemque adeo legem & diſciplinam. Hocque dogma diutius & accuratius à Tranſalpinis perpenſum, reddidit illos omnes atheiſtas & Epicureos, qui negarunt eſſe DEVM, eo ipſo quod in ſervitutem Pontificis Romani conſentire noluerunt. Quod facit ut arbitrer, in præſentia virorum doctorum rationibus &

argu-

argumentis Politicis & naturalibus cum illis diſputandum eſſe: coram vulgo vero poſcendum ab illis, unde vocationem ſuam habeant? quod latius deduxi in Dialogo & Quæſtionibus Politicis & Theologicis, à me contra illos promulgatis. Nam multiplicatio librorũ, & litium prolongatio, autoritatem dant cauſſæ iniquę, & in victoriam quaſi cedunt. Duodecimo, poſtquam illi hæretici nova Biblia introduxerunt, & Patres cum hiſtoriis diſtorquentes pro ſuo libitu interpretati ſunt, in hunc finem linguæ Græcæ & Hebraicæ dederunt operam, nugaſque Grammaticales multis & ingentibus voluminibus ſcriptis foverunt: ſic, ut totus fere Septentrio hodie Grammaticale, non ſpirituale bellum nobis inferat; nobis, inquam, qui linguis jam dudum valediximus, ex quo Hebræos, Græcos, & Latinos vicimus, omnibus aut Chriſtianiſmo ſubjectis, aut à politico & ſacerdotali munere repulſis, quod in Iudæis hodiernis patet. Vnde ſophiſticatiunculas & Grammaticales quæſtiunculas nihil amplius curamus, ingenioque noſtro confiſi, prolixitatem diſciplinarum, cum tædio craſſos ſcribendi libros abjicimus; atque interim illi altercationibus ſuis fatigant nos, non vero profligant. Quocirca ego exiſtimo, illos homines ab hære-
ſibus

ſibus Grammaticalibus deducendos eſſe, novis videlicet artibus, quibus nos præpollemus. Atque in hunc finem Rex in civitatibus ſuis præcipuis ſcholas in quibus Arabica lingua doceatur, aperire debet, ut ſui habiles reddantur ad diſceptandum cum Turcis, Mauris & Perſis, qui illius linguæ miniſterio Mahumetiſmum fovent; ut nos Chriſtianiſmũ miniſterio Latinæ. atque ita bella inteſtina in externa convertentur. Erigendæ ſunt etiam ſcholæ Mathematicæ & Aſtrologicę, quibus Septentrionales præmiis etiam propoſitis invitentur ad ſidera& conſtellationesNovi Mundi detegendas & contemplandas; ex quo decor & utilitas ad Imperium redundat. Revocandæ itidem ſunt ſcholæ antiquiſſimorum Philoſophorum Platonicorum & Stoicorum, & Teleſianorum; ut populi à Theologicis quæſtionibus abducti ad Philoſophicas convertantur; nam illæ propius ad fidem Chriſtianam accedunt quam Ariſtoteles. Rex vero iſta faciens imitatus fuerit Herculem, qui, quo facilius Antæum ſuperaret, illum è finibus ſuis provocavit, & Cadmum qui novas ſcientias ſecum in Bœotiam importavit, & beneficio illarum princeps regionis illius evaſit. Atque hoc modo hæreſiarchæ, videntes plus commodi & utilitatis illic eſſe quam

hic,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

hic, repudiatis hæreſibus anteſignanos ſe philoſophicarum & aſtrologicarum artium facerent; imo, ut favorem noſtrum conſequerentur, cornua in inimicos obverterent, & contra impietatem Turcicam ſe armarent, quæ ſenſim in Germaniam irrepſit, quia multum congruit cum Calviniſmo. Erigenda ſunt etiam paſſim ergaſteria & officinæ mechanicarum artium, ad quas populus ille inprimis habilis eſt; ſicque promovebitur negotiatio maritima, cum ratione obſidendi urbes, & artificioſis ignibus eas expugnandi. Per hæc talia quaſi media homines à falſa religione avocantur, & à ſe invicem ſegregantur; cum emolumento Regis & regni Hiſpanici, cui plurimi officia ſua deferent; ejuſque imperio, quod jam contemptibile atque etiam odioſum redditum eſt, priſtinus ſuus honos reſtituetur; populique illi imbelles & minus feroces efficientur. Decimotertio, inter nobiles & primores reipublicæ mutuæ contentiones & odia excitanda ſunt; & ei parti, quæ rebus Hiſpanicis maxime favet, ſuppetiæ ferendæ ac munera conferenda; ut reliqui certatim accurrant, ſeque ad idem præſtandum accingant: quod ſi hoc fieri non poſſit, capita eorum è medio tollenda ſunt, aut ſi nullam occaſionem cædis præbuerint, imminuenda eſt ſolum illorum

rum

rum exiſtimatio, (nam injuſtitia nunquam altas radices egit) aut ipſi alio tranſportandi ſunt. Paulus Æmilius, ut Macedoniam quietam & tranquillam relinqueret, perſuaſit magnatibus, ut una cum liberis ſuis in Italiam tranſirent. Et Carolus Magnus ut tumultus Saxoniæ ſedaret, confuſionemque omnem tolleret, nobiles illius regionis in Galliam traduxit. Decimoquarto, excitandi ſunt illi, ut in Mundum Novum tranſnavigent, hortandique, ut, junctis ſuis claſſibus cum Luſitanica, in Arabiam & Palæſtinam per Mare Rubrum irrumpant, in perniciem ſcilicet Turcarum; (ut infra:) quo è ſolo ſuo evagantes aliena oppugnatum eant, ut ita ab Hiſpanis, hac in re illis multo præſtantioribus, deprimantur. Decimoquinto, æmulationum ſemina inter illos ſpargenda, ut ad exemplum fratrum illorum è dentibus prognatorum, ſeſe mutuo ipſi conſumant: & pauci qui cladi illi ſuperſtites fuerint, ad ſervitium ſuum poſtmodum adhibendi. Sed tum maxime opus eſt, ut ſerpens ſeditionis, Comes ſcilicet Mauritius, interimatur: non vero per bellum diuturnum copia illi danda eſt magis magiſque ſuccreſcendi. Sed inprimis, ut dixi, novæ literæ & linguæ ad exemplum Cadmi introducendæ ſunt; mulieresque ab illis abſtrahen-

dæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

dæ, itidem ut fecit Iaſon. Decimoſexto Hollandi millione auri conducendi ſunt quotannis, ut claſſem è Mundo Novo remeantem, præterea oram Hiſpaniæ maritimam, ab Anglis tuta reddant; jubeanturque duces illius expeditionis proprios filios obſides dare, donec ipſi re perfecta redierint. Nam hi auro ineſcati facile contra Angliam ſe conduci patientur: extabitque in fine aliquis ſummus illorum, qui claſſem cum Hollandia ipſa Hiſpanis prodat. Quod ſi æmulationum & invidiæ ſemina inter nobiles & duces rerumpublic. hoc modo diſſeminarentur, certe nunquam tantum contra Hiſpanos proficerent, quantum illos quotidie proficere videmus: atque illi qui controverſias literales cum Papa ſuſtentant, tantum authoritatis non conſequerentur; Rexque ipſe imperium maris & bellorum terreſtrium ſibi firmaret, populoſque ad ſe perduceret. Decimoſeptimo, populi illi miraculis & admiratione virtutis mire ducuntur, ita ut Sancti & ſapientes viri arte ſua facile illos illiciant. Igitur ſedulis operariis opus eſt, qui doctrina & vitæ inculpata ſanctimonia pedes illas exorbitantes in veritatis viam reducant. Quod ſi Devs ad hoc genus officii meipſum vocaret, ego &c. Decimo octavo, illis jam diviſis & debilitatis, ſubito

bito inferenda ſunt arma: nam mora plus ad rem confundendam, quam ordinandam confert, (nocuit ſemper differre paratis:) magnus vero & validus exercitus immittendus eſt illis, ipſo Rege duce, arteque aliqua inuſitata: nam abſque hac omnis impetus irritus erit. Subornandus vero eſt dux aliquis ſtrenuus & cautus ab ipſo Rege Hiſpaniarum, qui ſimulans defectionem transfugiat ad hoſtes, inſinuetque ſe apud Status generales, ut dux belli ab illis conſtituatur: quomodo Zopyrus Dario Babyloné prodidit; ad quam ſimulavit ſe confugere, naſo, auribus, & labiis ſibi ipſi abſciſſis, mentienſq; apud hoſtes Darium crudelitatis illius autorem: quodque Sinon Trojanis fecit; & Sextus Tarquinius, qui fingens apud Gabios, ſe à patre aufugiſſe, ab illis creditus, & dux electus, capita reipub. primum ſuſtulit; inde Gabios patri prodidit. Ad quod pariter conficiendum Hiſpania opus habet viro fideliſſimo, militari & ſapiente, non qualis fuit perfidus ille Antonius Perez. Decimonono, cum urbes Belgii ſuperioribus ſæculis & ante bellum frequentiſſimæ omnium emporiorum totius Europæ fuerint, idque nulla magis de cauſſa, quam quod vectigalia mercium quæ importabantur & exportabantur (fuerunt autem hæ genere & numero

infinitæ) parva erant; ideo opus eſt, ut Rex, dum ſtudet populos illos ſibi reconciliare, antiquum illum morem revocet, &, ut uno verbo eloquar, felicitatem Belgarum perpetuam & incontaminatam reddat: qui, quamvis nullas auri nec argenti fodinas habeant, nihilominus tamen, dum ſtetere tranquilli, variis & inæſtimabilibus ſuis opificiis, & mirabilibus ſeu manuariis ſeu aliis artibus, tantum auri corraſerunt, ut metalli fodinis illis Vngaricis aut Tranſſylvanis nihil invideant: neque fuit regio ſplendidior, ditior, aut magis frequentata, non dicam in Europa, ſed in univerſo mundo; ſic, ut, reſpectu theſauri inexhauſti quem Carolus V. inde capiebat, merito à certis quibuſdam appellata fuerit, India ſacræ majeſtatis. Intereſt igitur Regis ut populos illos ſibi reconciliet, & ut ad res ad primũ ſtatum & naturam ſuam, quod facillime fieri ſolet, revertatur: nec ea in re ſumptibus, operi, conſilio induſtriæve parcendum. Vigeſimo, diligens juſtitiæ adminiſtratio, cum pace & rerum affluentia, ſingularem utilitatem ad hanc rem afferet: nec non religionis, literarum, & virtutis cultura: nam cum religioſi, literati, & virtute præditi, inter cæteros homines quaſi capita ſint; hos igitur qui à partibus ſuis habet, is reliquos ad ſe facile

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

trahit. Nam religioſi conſcientias populorum poſſident, literati vero ingenia, & virtute præditi facultates vireſq; militares: quique ex ſingulis hiſce conſtituuntur judices, authoritate apud omnes plurimum pollent: illi propter pietatem & religionem, hi propter doctrinam & ſapientiam: illi propter reverentiam, hi propter æſtimationem. Hinc fit, ut quicquid illi faciant aut dicant, pro oraculo habeatur, dignumque quod omnes ſequantur & amplectantur. Vigeſimo primo clementiæ quoque non diſſolutæ fama ſatis multum prodeſt: adeo quidem, ut omnibus innoteſcat, facilitatem & conniventiam in Principibus procedere à natura, & voluntate, punitionem vero à neceſſitate, zelo erga juſtitiam, & amore publicæ tranquillitatis. Sic Nero in primordio regni ſui, ſimulatione clementiæ mirum amorem & benevolentiam apud populum Romanum ſibi acquiſivit: cui cum aliquando ſententia condemnatoria in quendam à Iudicibus lata afferretur, ut illi ſubſcriberet, ſuſpirans dixit, O quam vellem literas non didiciſſe! Vigeſimoſecundo, multum hic juvant virtutis alicujus excellentioris radii, quibus non ſolum proprii ſubditi devinciuntur, verum etiam inimici ad amorem & benevolentiam alliciuntur: ſicut in Alexan-

dro

dro & Scipione patuit, qui ambo ſingularis continentiæ teſtimonium de ſe præbuere; item in Camillo & Fabritio qui animi ſui magnitudinem declararunt, ille in Faliſcis, hic in rege Pyrro: emicuerunt illæ ſimiliter in Conrado Imperatore, in bello contra Miſiconem; item in Carolo Magno, qui præter obſervantiam religionis, & ſtudium promovendarum literarum, inſignem etiam laudem liberalitatis & beneficentiæ in ſummos, medios & infimos atque adeo in omnes ſibi acquiſivit. Et certe nu lum eſt amabilius, fortius, aut laudabilius vinculum ad hominum animos ſibi obligandos, quam liberalitas, & beneficentia. Vigeſimotertio, ſed ſuper omnia, efficaciæ ſummæ erit, ſi pacta & conventiones cum illis ſemel initæ ſerventur; quod Hiſpani in propriam ſuam necem facere neglexerunt: nam nihil tam animos naturalium & acquiſititiorum ſubditorum offendit atque abalienat, quam cum vident, capitulationes, ut vocant, quibus ſe alicui ſubmiſere, ab eo alterari & mutari. Hoc cum non obſervaret Dux ille Albanus, homo avarus & injuſtus, rebuſque ſuis augendis ſolum invigilans, totum Belgium turbavit, & in Regem rebellare fecit. Contra vero fide ac promiſſis ſtando, quod quidem infallibile argumentum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

eſt animi conſtantis, & judicii præſtantis, inſigne virtutis apud Belgas exemplum edidit Alexander Farneſius Dux Parmenſis: qui ſane dux fuit militaris omnibus numeris abſolutus, atque ſub juſtiſſimo Rege perpetuo duxit exercitum in ſervitium Eccleſiæ & DEI, jam Fabium, jam Marcellum imitatus. Vigeſimoquarto, non eſt etiam res parvi momenti, linguam Hiſpanicam in illos locos introducere & excolere; ad exemplum ſcilicet Romanorum, qui linguam Latinam in locos à ſe ſubjugatos introduxerunt: ſic Romanos ſecuti Arabes, qui linguam ſuam excolendam dederunt in magna parte Africæ & Hiſpaniæ: & VVilhelmus Dux Normandiæ cognomento Conquæſtor idem ante quingentos annos in Anglia conatus eſt. Sed ad linguam aliquam introducendam primo omnium opus eſt, ut leges illius in illa lingua deſcribantur, utque coram judiciis & tribunalibus illa lingua diſceptetur, item commiſſiones, programmata, libelli ſupplices nulla alia promulgentur aut ſcribantur lingua. Fecit hoc Carolus Magnus, qui potitus Exarchatu Ravennate, quem Eccleſiæ donavit, Romaniam illũ appellari voluit; ut ita paulatim linguam & mores Græcorum, quibus illa gens antehac ſubjecta fuerat, aboleret, &

Eccle-

Eccleſiæ, Romanæque & Pontificis Romani amorem illi implantaret. Turca etiam ipſe non permittit incolis Natoliæ alia lingua uti quam Turcica, præterquã in rebus ſuis ſacris. Vigeſimoquinto, Educatio etiam non parum huc facit, cum revera ſit altera quædam natura, cujus intervétu populi peregrini efficiuntur quaſi naturales. Sumat ergo Rex Hiſpaniæ liberos magnatum & primorum, nec non pauperum ingenio præcellentes, curetq; illos educari quantum fieri poteſt, in ſeminariis militaribus & diſciplinarum, in Hiſpania. Alexander Magnus perſpiciens hanc utilitatem, juſſit aliquot millia juvenum Perſarum eligi; illoſque in habitu, moribus, armis & literis Macedonico more educari; quod ſperavit ſe non minorem utilitatem ex illis adultis capturum, quam ex Macedonibus ipſis. Ad eundem modum Magnus Turca educat Ianizaros, ſubditorũ ſuorum à ſe devictorum liberos, aut etiam ab exteris & Chriſtianis propagatos, qui fiunt poſtea fideliſſimi illius milites quos unquam habuit, hique ſunt, quibus cuſtodia & incolumitas Imperatoris commiſſa eſt, & quorum opera Turca in ſummis negotiis utitur, in quibus fide & viribus maxime opus eſt. Hujus educationis medio Turca duas res graviſſimas obtinet; nam &

ſubditos infideles viribus privat, & illorum viribus proprias ſuas vires confirmat. Vigeſimoſexto, ne ſuſque deque ferat Rex noſter qualeſcunque nobilium & ſubditorum ſuorum diſſolutiones aut commotiones: nam omnia mala in principio parva ſunt, quæ tamen neglecta in fine exitium inferunt: perinde ut videmus tenuiſſimas nubeculas horribiles procellas in fine producere. Vigeſimoſeptimo, ne conſentiat Rex in propoſitionem rei ullius, quæ novitatem & mutationem rerum ſecum inducere queat: nam eo ipſo quod de illa deliberari ſinit, autoritatem & exiſtimationem rei illi circundat. Omnes & Belgii & Galliæ turbæ à duobus libellis memorialibus initium ſumpſerunt, quorum unus à Caſpare Coliginio Franciſco II. prælectus eſt: alter à Domino de Brederode Duciſſæ Parmenſi oblatus eſt. Vigeſimooctavo caveat ſibi Rex, ne unquam in populos illos potentiam ſuam abſolutam exerceat, in quibus ordinaria locum habere poteſt. nam ille modus agendi, tyrannorum proprius eſt; hic vero, bonorum regum: & abſoluta poteſtas potius tempeſtas quam poteſtas eſt. Vigeſimonono, adhibeatur diligentia in regionibus illis circa miniſtros eligendos, ut ſumantur ſemper qui oneri illi pares ſint, non vero

majo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

majores aut inferiores: quod diligenter à Tiberio obſervatum legimus: nam majores rem ſibi commiſſam neglectui habent, & quaſi dedignantur; & alii minores ſunt, quam ut illam ſuſtinere poſſint. Vltimo nunquam tantum paci credat, ut arma omittat: nam pax inermis ſimiliter debilis eſt. Conſtantinus Magnus in profunda pace ſui temporis agens, milites limitaneos dimiſit; quo facto porta Barbaris ad irrumpendum pateſacta eſt: & Maximilianus primus nimium fidens induciis cum Turca pactis, omittenſque arma, multos Chriſtianos peſſundedit. Diſſeruimus hiſce de rebus, quantum chartæ committi potuit: nam reliqua ſecreta magis particularia magiſque notatu digna, mutuo colloquio reſervo, ubi & quando Majeſtati ſuæ placuerit. Interim tamen non omittenda ſunt illa quæ in medium produximus: niſi enim dictis mediis bona affectio populorum verſus regem ſuum excitetur & alatur, imperium ejus in illis regionibus erit quaſi planta ſine radice. Nam ut minima quæque procella arborem nullis radicibus fixam proſternit; ſic leviſſima omnis occaſio ſubditos erga principes ſuos male animatos alienat, & à dominis propriis divertit, ut à fortuna circumacti mox huic, mox alii adhæreant: hincque na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſcuntur mutationes regnorum & ſtatuum: quod in regno Gallico inprimis manifeſtatum eſt.

CAPVT XXVIII.

De Africa.

TVrca poſſidet in Africa Ægyptum, Algieram & Tunetum. Regnum Fezzanum proprium ſuum regem habet; qui tamen nullo negotio à ſolio deturbari poteſt; quod Mahumetiſmus ibi terrarum in plus quam ſexaginta hæreſes diremptus eſt. Reliqui reges parvæ ſunt potentiæ: excepto rege Abyſſinorum, qui vocatur Presbyter Iohannes, qui habet ultra quinquaginta regna ſub ſe; ipſe autem Chriſtianus eſt, quamvis religionem Catholicam incontaminatam non habeat. Neceſſarium ergo eſt, ut illorum vires in Hiſpaniam deriventur, cum tranſitus ultro citroque facilis ſit: nam rex noſter regnum Oran illic poſſidet, ubi perpetuo decertatur cum Mauris, qui una ſola incurſione Germanorum facile debellari poſſent. Nec Monarchiæ Hiſpanicæ obſtaculi quidpiam ab illis partibus metuendum eſt. Sunt enim illæ gentes aptiores ad ſerviendum quam imperandum; & nunquam Septentrionales ſubegerunt, at fuerunt quidem ſubacti ab illis. Excepta quidem Carthagine Tyri co-
lonia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

lonia, quæ tamen à Romanis fuit extinçta. Et Arabes ex Africa in Hiſpaniam tranſierunt, & octingentis annis poſt itidem fuerunt deleti: qui neque vere Africani erant. ſed armorum novitas, & religio Mahumetana, eos præter morem ſuum ad tantos conceptus inſtigarunt. At Afri hodie infirmi debileſq; ſunt, & quia ingenio invidi, aſtuti & ſerviles ſunt, Rex Hiſpaniarum interventu unius ex illorum Regulis brevi in penitiſſimam illorum regionem irrumpere poteſt; ſicut olim Romani interveniente Maſiniſſa fecerunt. Quare ſapienter quidem fecit Sebaſtinus rex Luſitaniæ, quod miniſterio filiorum regis Fezzani in occupando & acquirendo illorum regno uſus ſit: ſed parum prudenter propriam perſonam expeditioni illi impendit. Profecto quia filii illorum regum unus alterum occidit, faciles ſunt ad ſubjugandum, ſi unius illorum opera eligatur. At quia valde inter ſe diviſi ſunt, nihil omnino ab illis metuendum eſt.

Regi itaque Hiſpaniarum penitius in Africam penetrandum eſt, cum ad eam rem ſatis commoditatis habeat per munimenta quæ in omnibus Africæ Occidentalibus & Meridionalibus portubus, ad Sinum uſque Arabicum, poſſidet; habeatque prædictum Presbyterum Iohannem,

 nem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

nem, quem aſtute illis opponat; facilli-
mumque ſit ipſi amicitiam illius ſibi
conciliare per Ieſuitas, qui ad illum pro-
fecturi ſint, eumque obedientiæ Ponti-
fici Maximo debitæ per legatos ſuos ad-
monere; (quod etiam ante factum fuit
temporibus Eugenii IV. & Clementis
VII. Luſitanis id procurantibus,) atque
ita fœdus cum illo facere. Mittantur
igitur ad illos magiſtri Catholici artium
& religionis quarum expertes ſunt: con-
verti enim facile poterunt; tantoque fa-
cilius, quod perhibent ſibi à certa qua-
dam propheti ſſa ſua, nomine Sinoda,
prædictum fuiſſe, quod ipſi cum Latinis
prædeſtinati ſint ad extirpandum Tur-
cam, & liberandum ſacrum ſepulchrum
Chriſti. Cum igitur Rex dominus ſit
omnium littorum in Africa, providen-
dum eſt illi, ne quiſquam per mare Afri-
canum naviget: ſed ut dicto Presbytero
Iohanni liberum ſervetur, ope Luſitano-
rum, quandocunque illi libuerit, per Si-
num Arabicum in Palæſtinam navigare
in perniciem Turcarum. Suppeditandi
illi etiam ſunt modi & media, (ut ma-
chinæ & inſtrumenta bellica,) quibus
Turcam ſuperare poſſit: nam ſi Mahu-
metiſmus unquam in regnum illius in-
troduceretur, fieret hoc cum magno de-
trimento orbis Chriſtiani, & præcipue
Hiſpa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Hiſpaniæ. Poteſt etiam per Ægyptum Turco obviare. Si autem claſſis valida Neapoli in littora Africana Septentrionem ſpectantia excurreret, facile illa in poteſtatem ſuam redigeret, invitaretque mancipia in Algiera & Cyrene detenta ad rebellionem in favorem Hiſpaniæ. poſſet etiam claſſis talis ſolis continuis prædis ſuſtentari, ſecuram Italiam reddens, & reliqua quæ monarchiæ Hiſpanicæ impedimento ſunt occupans.

CAPUT XXIX.

De Perſia & Catajo.

REgi omnibus artibus adlaborandum eſt, ne Perſæ aut Taprobanenſes claſſes in mare deducant, vel etiam Arabes: nam illi navigationibus ejus in Indiam Orientalem procul dubio multum obſtarent, atque novos ibidem Chriſtianos Mahumetiſmo inficerent. Quare valida caſtella in confinibus Arabiæ & Æthiopiæ ponenda ſunt, item in finibus Sinus Perſici, & in inſulis Meridionalibus circa Africam & Aſiam, fœduſq; Regi cum Perſis ineundum eſt adverſus Turcam. Neque tamen curare debet, ut Turca omnimode extirpetur: nam uter horum alterum devinceret tantas acquireret vires, ut totum orbem Chriſtianum vincere, & ſic monarchiam Hiſpanicam impedire

poſſet;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

poſſet: tantumque noceret, Turcam o
cidione ab alio non Chriſtiano deler
quantum prodeſſet, ſi à ſolis Chriſtian
ſubjugaretur. Verum quia per Hung
riam, Africam, & Dalmatiam multu
damni nobis infert; prudentis foret arti
Perſas in illum inſtigare, provideream
ut ſclopetis & tormentis bellicis in op
pugnando illo utatur: nam defectus ho
rum armorum in cauſſa fuit, cur ille Ar
meniam prope totam perdiderit, jamqu
Turca in Oriente tantum invaluerit, u
ſibi parum ab illo metuat. Et dum Chri
ſtianos in Occidente oppugnat, nihil ma
li ab Aſia timet, indieſque magis ac ma
gis contra nos progreditur. Expedit igi
tur fœdus cum Perſa inire, maxime pro
pter navigationem, quod in itinere ver
ſus Indiam Orientalem regio ejus obja
cet. Quin & idem tentandum ajo cum re
ge Calicut, Narſingæ, Caramaniæ, ſed hi
tormenta bellica ſubminiſtranda non
ſunt: typographiæ quidem & ſcientiæ
Chriſtianorum illis communicari poſ-
ſunt, ut hi in admiratione apud illos ha-
beantur; præoccupenturque ſic per ar-
tes & ſcientias ingenuas: quæ tamen ar-
mis prædæ cedere ſolent, niſi inſimul ex-
erceantur utraque. Hinc Pallas Callio-
pen vicit cum Marte, propterea quod illa
Martis arma, & Calliopes ſciẽtias habet.

Eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Eodem modo procedendum eſt cum Ta-
probanenſibus, Chinenſibus, & Iaponen-
ſibus, impertiendo illis ſcientias, typo-
graphias, picturas, ſimileſq; res, quæ illos
in admirationem rapiunt, & quibus ſen-
ſim deliniri & ad Chriſtianiſmum perdu-
ci poſſunt. Verum in his omnibus ab ava-
ritia & crudelitate abſtinendum eſt, ne
irritati, & contra nos uniti, Hiſpanorum
conatibus obſtent. Non eſt quod hic de
Magno Cam in Catajo verba faciamus,
cum ab itinere Hiſpanorum in Indiam
regio illius longius abſit: quamvis Perſis
& Turcis ab illo metuendum ſit, conſtet-
que Tartaros ſæpe totam Aſiam inun-
daſſe, Chriſtianoſque factos Hieruſalem
nobis donaſſe. Verum poſtquam vide-
runt noſtram ignaviam, ut quamvis om-
nes Chriſtianam fidem profiteamur, ta-
men quotidie armis inter nos decerte-
mus, abnegato rurſus Chriſtianiſmo Ma-
humetiſmum, qui tum ſummo per O-
rientem in honore habebatur, amplexi
ſunt: ſicque à Perſis & Turcis impu-
gnandis deſiſtentes, quietem illis quam-
vis ſæpe à ſe ante victis indulſerunt: à
Chriſtiana vero fide, & Chriſtianis ut vi-
libus & perpetuo inter ſe diſcordanti-
bus, magis ac magis abalienati ſunt. Cre-
do tamen, mirabilem Hiſpaniæ Monar-
chiam, quæ totum orbem terrarum cir-
cum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cumambit, hodie illos denuo ad Chr
ſtianiſmum reducturam; præſertim ſi be
lum in Oriente etiam moveretur: idqu
tanto magis, quod Macon jam in plur
ſectas diremptus eſt. Tum etiam incol
Calicut & Goæ ſunt Chriſtiani Neſto
riani, qui facile ad verum & primogeni
tum Chriſtianiſmum revocari poſſent,
conſiderandum illis proponeretur, quo
DEVS Eccleſiam Romanam in ſua ſed
ſemper conſervarit, cum è contrario o
mnes illorum hæreſes Imperio deſtitut
fuerint, ut patuit in Arrio, Neſtorio, Ma
cedonio, Apollinari, & aliis hæreſiarchis
Nihil ego reperio, quod remotiſſima ill
regna admiratione noſtri tam afficer
queat, illorumque incolas à ſuperſtitio
nibus ſuis abſtrahere, atque ad bella tam
debilitare poſſit, quam ſi ab Occident
artes liberales, linguarum, Philoſophia
item, & Mathematicæ ſcientiæ ad illos
deferantur. Quia minuit vires nervoſque
Minerva. Curet igitur Rex, ut extranei
in ſcientiis ſolis umbratilibus rebuſque
ludicris ſegnes detineantur; dum ſui in
armis & ſcientiis illis ſimul exerceantur,
per quæ tandem victoriam conſequatur.
Poſtremo, ut redeamus ad auxilia Perſa-
rum contra Turcas, hi, quia multitudini
& virtuti equitatus ſui ſemper ſummas
tribuerunt, atque interim tamen, dum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

aperto campo vicerunt, urbes ſuas ſæpe amiſerunt, admonendi ſunt, ut urbes ſuas caſtellis, arcibus & præſidiis firment: nam Turca, quamvis non raro ab illis profligatus, munimentis tamen paulatim ſe vallans, idque in locis opportunis, magnam partem regionis illorum acquiſivit, & in fine magnam etiam illam urbem Taurim, ſeu Ecbatanam. Docendi igitur, ut eadem arte ſe tutentur, qua jam ſæpius fuerunt capti.

CAPVT XXX.

De Magno Turca, ejuſque Imperio.

QVibus modis Turca ad Imperium mundi pervenire nitatur, ſupra jam ſatis declaratum fuiſſe arbitror: ille vero jam etiam Dominus univerſalis ſalutari vult, quemadmodum Hiſpanus Catholicus; ita ut hi duo de univerſali mundi totius Imperio inter ſe decertent. Quocirca operæ pretium eſt perpendere, qua in re alter altero inferior aut ſuperior ſit. Turca dominus abſolutiſſimus & omnium Imperii ſui bonorum hæres eſt; nec ſolum bonorum, ſed etiam corporum; & in hoc pejor Tyranno, quod omnia ſibi arrogat; & cum populos ſuos pro filiis ſuis habeat, tamen hæreditatem illis inſtar patris non dividit, ſed unicuique quantum ipſi libet quotannis erogat

erogat, miniſteriaque aſſignat. Habet etiam religionem ad ſuum ſolius votum ſine Pontifice ſummo: militiam juxta fortiſſimam, cum generoſiſſimos pueros adoleſcenteſve in ſeminariis ad hoc factis educet, quorum opera foris in militia domique in pace utitur, faciens quoſdam milites, quoſdam judices, & quoſdam etiam nobiles: neque barones à quibus metuere debeat, neque filios ad dividendum Imperium habet: nam natu maximus poſteriores omnes è medio tollit. Sed nec laborat inopia hominum, cum ſuis permittat ſingulis plures uxores ducere: ita ut nec hæreditas nec virginitas procreationi hominum in ſua regione obſtet. Solet etiam circumcirca eundo quaſi in orbem cum vicinis bellum gerere, nihil hoſtile à tergo relinquens, neque longius ab una regione mundi recedit quam ab altera: quod ſupra jam innuimus. Atque in differendis bellis arte utitur admirabili, perpetuo propriam utilitatem aucupans. Genuſque ſuum à Iaphet per Magog deducit, & leges Sem per Iſmaëlem ad ſe derivatas habet, unde natus eſt Mahumetiſmus: deque eo DEVS ipſe prædixit ad Agar, Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula. Hinc palam videmus, illum

in ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

in extremo Europæ angulo Conſtantino-poli caſtra ſua metatum eſſe contra nos, qui ſumus fratres illius deſcendentes ab Iſaac Iſmaëlis fratre & legitimo & naturali. Nam ſicut Hiſpani à Tubal, ita Turcæ à Magog deſcendunt, qui ambo filii fuerunt Iaphet. Et revera Turca manum ſuam paſſim extendit contra omnes non ſolum Chriſtianos, ſed etiam Mahumetanos, hic illic, ad dextram & ſiniſtram, ſemperque victor evadit. Vtitur autem ſimul hac calliditate, ut quam primum nos unitos videt, illico ad inducias confugiat; quas ſtatim rurſus rumpit, ubi nos diviſos videt. Sed & aliunde victor veniens, ad aliam expeditionem ſe convertit, ſeu contra Perſas, ſeu contra Æthiopes, &c. ut ſupra. Hæc tamen omnia cum ita ſint, rex quoque ipſe Hiſpaniarum dominium regni illius aut ſaltem partis ſibi arrogat, propter fraternitatem tum naturalem à Iaphet, tum etiam legalem ab Abrahamo procedentem: ſed reſpectu poſterioris hujus Turcam antecedit; ſiquidem genus ſuum ducit ab Iſaaco, à quo Chriſtus Deus, ſummus legiſlator, & generalem promiſſionem habet de univerſali Imperio: & quia benedictus eſt in Abrahamo, noviſſimum Sanctorum regnum, quod quatuor monarchias ſequetur, & de quo Daniel prædixit, ipſi debe-

tur. Iſmaël vero, à quo Mahometus Turcarum legiſlator, non aliam promiſſionem habuit, quam quod dominus abſolutus, & inſignis bellator futurus ſit. Præterea ambo hi Principes pars ſunt Rom. Imperii; nam poſt Monarchiam Rom. nulla alia reſtat. Sed ſecundum Eſdram Germanus, qui eſt hodie Hiſpanus, (ut ſupra) eſt dextrum, Turca vero eſt ſiniſtrum caput aquilæ Imperialis, poſtquam Mahometus ab Heraclio Imperatore deſcivit, ſub cujus Imperio aquilam illam diviſit: cui nihil aliud promiſſum eſt, quam quod devoraturus ſit caput intermedium, nempe Conſtantinopolitanum: Hiſpanus vero promiſſum hoc habet, quod devoraturus ſit caput ſiniſtrũ, quo denotatur Turca; ut ſupra innuimus. Et quamvis Hiſpanus ſacerdotem gladio temporali armatum ſupra ſe habeat: hoc tamen illi etiam prodeſt, tam ratione fati, quam ſtatus, ut ſupra ſcriptum eſt: cum Hiſpanus ad exemplum Cyri monarchiam ſanctorum ſub ſe unitam habeat, Papaque illi fortiſſimum præſidium ſit, cujus ope inimicis ſuis illudat, armis ſpiritualibus, & temporalibus; atque etiam ut ſic ſuſpicionem avaritiæ & profanitatis effugiat. Quod ad imperium abſolutum attinet, Turca quidem Hiſpano ſuperior eſt. Sed oſtendi jam, hoc ipſum quod nullos velit
ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſub ſe barones habere, illum adeo infirmum reddere, ut unum ſolum prælium Martis aperti peſſundare illum, & ita proſternere poſſit, ut reſurgere nequeat; quod Hiſpaniæ accidere non poteſt, cum nobiles, Epiſcopi & Papa ipſe in tali calamitate auxilium illi propere ſint laturi. Turca primores Imperii ſui ſupprimit, ne res novas moliri aut Monarchiæ illius obſiſtere poſſint; ſicut Galliæ primores olim fecerunt: ſed interim illos ita enervat, ut illi, cum neceſſitas ipſa flagitat, auxilii nihil ferre poſſint. Quod in diſciplina militari, ac ratione ipſa belligerandi primas ferat Turca, ſæpius jam dixi: verum ſi diligentia adhibeatur, & obſerventur quæ ante monui, in hac re illum vel ſuperare poſſit Hiſpanus; magiſque ſi ipſe Rex in bellum proficiſci velit. Quod ad multitudinem hominum & militum attinet, Turca potior eſt; cum etiam in graviſſimis ſuis expeditionibus ſemper multitudine magis quam fortitudine vicerit. Habet tamē populos per religionem inter ſe diviſos & diſcordes: tum prædia & agri totius regionis ſolis militiæ præfectis in feudum dantur. Rex autem Hiſpaniarum pauciores quidem numero, ſed magis concordes inter ſe populos habet. Verum jam oſtendi, quomodo diverſarum gentium connubiis numerus ſubdi-

torum augeri poſſit, & quod inſtitutione ſeminariorum literalium & militarium fortitudo militum intendi poſſit: quorum mediorum intermiſſio facit, ut in hac parte Turcæ nobis palmam præripiant. Quod ad rem pecuniariam attinet, parum aut nihil alterum alteri cedere exiſtimaverim. At ſi rex Hiſpaniarum eadem abſoluta poteſtate procedendi uti vellet, qua Turca utitur in ſuos, facile illum divitiis ſuperaret: Deſunt quidem nummi: ſed ſupra monſtravi, quibus rationibus pecuniæ ad bellum contra Turcam gerendum corradi poſſint. Qui incredibili celeritate utitur in propoſitis ſuis exequendis; cum ad apparatus præparandos ærario ſuo præſentaneæque theſauri ſui pecunię non parcat; unde militem auctorat, arma comparat, aliaque ad expeditionem neceſſaria promte inſtruit: poſt autem quæ de theſauro ſuſtulit, exactionibus & tributis, quæ populis ſuis indicit, ſupplet. Neceſſitas circumcirca ac velut in orbem vicinis bellum inferendi, Turcæ peculiaris quodammodo eſt; cum omnes inimicos habeat. Non eadem vero Hiſpaniæ eſt conditio. Nam inter Mediolanum & Neapolim Papa cum Tuſcis interjacent, qui illi per religionem & rationem ſtatus amicitiæ nexu conjuncti ſunt. A Belgio quidem &

Novo Mundo remotior eſt: quod tamen ipſum admirabiliorem illum reddit; cum reſpectu navigationis illis quaſi propinquus ſit; & illius interventu & beneficio reliquam quoque partem mundi, quæ illi nunc deeſt, acquirere poteſt: quemadmodum infra oſtendemus. Accedit quod illæ regiones quamvis multum disjunctæ, tamen per religionem Hiſpaniæ connexæ ſunt. Poſtremo, quod in Turcia filii Imperatorum natu majores interficiunt minores, hoc illis crudelitatis infamiam impingit: facileque accidere poteſt, ut unus ex poſtgenitis fuga ſibi conſulat, atque poſt fratri ſuo bellum inferat. Cujus rei prope exemplum extitit Gemes ille, frater Bajazethis, qui poſt fugam fratri maximum damnum intuliſſet, atque auxilio Chriſtianorum in Græciam penetrare potuiſſet; ni arte Bajazethis, & perfidia Chriſtianorum veneno extinctus fuiſſet. Et Selimus non quidem viam ad imperium affectavit, ſed tamen maximas vires ſibi circumdedit, primo ne occideretur; deinde oblata occaſione patrem & fratrem ſimul imperio exuit, atque utrumque necari juſſit: quo tempore Imperium illud funditus potuiſſet deleri. Non omiſerim hîc addere, Turcico Imperio totalis ruinæ periculum ab hoc ſolo imminere, quod in chariſſima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſua pignora & conſanguineos crudeliſſime ſæviunt. Nam cum Ottomanni uxores ducant, quot ipſis libeat, atque infinitos numero filios ex illis ſuſcipiant, qui tamen omnes certo certius ſciunt ſe trucidatum iri quam primum natu maximus ad rerum ſummam admovebitur; omnino veriſimile fit, fore ut tandem in regno illo bellum inteſtinum oriatur, quo illud aut omnino infringatur, aut in plures partes dirimatur; quo pacto via inimicis illius ſternatur ad illud oppugnandum & expugnandum. Nec eſt quod quiſquam miretur, hoc in hunc uſque diem nondum factum eſſe, cum Imperium hoc non adeo diu adhuc ſteterit: quia Ottomannus, qui illud fundavit, an. 1328. tempore benedicti XI. diem ſuum obiit. Scimus tamen, jam bella cruenta inter illos geſta fuiſſe, quæ noſtram hanc prognoſticationem eo firmiorem reddunt; facitque illud quo magis fidem habeam Aſtrologo Arquato [Torquato,] qui prędixit, fore, ut tempore decimi ſexti Imperatoris Turcici Imperium Turcicum corruat; quando nimirum luna illius inſigne incipiet decreſcere, id eſt, in duo cornua quaſi dividi, duobus Turcæ filiis in duas partes abeuntibus, & regnum diſtrahentibus; quorum unus Chriſtianus factus, ad Chriſtianos tranſiturus

iturus eſt. Duo illa cornua duo regna denotant: ſolent enim inſignia ſæpenumero eſſe fatalia, ut Apocalypſis Divi Iohannis docet, quæ regna à ſuis inſignibus vel ſymbolis modo dracones, modo aquilas, modo etiam leones vocat: & Ieremias regnum Aſſyriorum vocat columbam, quod in inſignibus ſuis columbam præferebant. Hac vero in re Hiſpanus Turca multo fælicior eſt, quia filii illius ob talem cauſſam ſibi mutuo haudquaquam infenſi ſunt. Imo videmus hodie, Auſtriacos partim ob hanc ipſam cauſſam quia fratres ſunt & conſanguinei, partim metu aliorum Principum Chriſtianorum aut hæreticorum, multo magis inter ſe concordare. Vix plures fratres aut conſanguineos in ulla Principum domo invenias, quam ſunt in Auſtriaca; nec hi tamen unquam conſanguinitatis jus inter ſe violarunt; aut per ambitionem rempublicam ſuam perturbarunt: quin unus alteri jus ſuum illibatum libenter relinquit, adeoque concorditer inter ſe agunt, ut videantur multa corpora uno ſpiritu animata, atque una voluntate directa. Adde quod etiam ſecundogeniti poſſunt aut in Cardinales eligi, aut in Reges Poloniæ aut aliarum regionum exterarum promoveri; ſicque domus Auſtriaca propter multitudinem filiorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

majus incrementum capit : cum illa Ottomannorum propter eandem cauſſam magis magiſque decreſcat : ut taceam nunc, quod ſubditos etiam tyrannide iſta graviter offendit. Experientia quoque teſtatur, fæminas Auſtriacas per hæreditates rem Auſtriacam multum & varie auxiſſe, Imperiumque miris modis adjuviſſe : imo etiam animos maritorum & vaſallorum ſuorum ſemper ad Regem noſtrum inclinarunt : quod hodie quoque clare videmus in uxore Ducis Tranſſylvaniæ, item Sabaudiæ, & Regis Poloniæ. Et ſunt illæ mulieres è domo Auſtriaca magnanimæ , virtutiſque & gravitatis dotibus ornatæ. At Turca contra pellices ſuas mancipiis & Baſſis ſuis, ut vocantur, elocans nihil externi conſequitur, præter benevolentiam & fidem horum. Qua de cauſſa, mea quidem ſententia, expedit, ne rex Hiſpaniarum unquam mulierem ex domo Auſtriaca matrimonio ſibi jungat, niſi cum illius interventu hæres fit novæ alicujus regionis: cum multo potius præſtet , ut tales exteris Principibus deſpondeantur ; quo illorum animos & propinquam voluntatem Reges Hiſpaniarum acquirant. Cæterum quandoquidem ſupra dictum eſt , Turcam extendere manum ſuam contra omnes, quo facit, ut omnes viciſſim manus ſuas contra ipſum
exten-

extendant, quos tamen omnes pactis induciis frequenter deludit, cum fidem nemini ſervet; igitur diligenter hîc conſiderandum eſt, quomodo ille ipſius agendi modus contra ipſum converti poſſit. Quod ut facilius fiat, rex Hiſpaniarum magnum numerum Perſarum in Arabiam immittere debet; facta illis ſpe ditionem ſuam longe lateque propugnandi; & perſuaſione hac injecta, Turcam communem eſſe hoſtem, cui utrinque omnibus viribus reſiſtendum, ne nobis devictis etiam ipſi mox vincantur. Prætenſo item zelo religionis, urbem Mecham, ubi ſepulchrum Mahometi, qui caput illorum Imperii fuit, occupandi: quo feliciter & auſpicato videlicet facto cætera omnia fore facilia. Curet etiam Rex Hiſpaniæ, ut fœdus inter Perſas & Presbyterum Iohannem ineatur, ut & hic ingentes copias, quas Luſitani per Mare Rubrum, vel etiam continenti educere poſſent, in territorium Turcæ communis hoſtis, infundat: idque cum acquirendæ regionis imperiique amplificandi gratia; tum vel maxime propter religionem: ad Hieroſolyma ſcilicet, ubi Chriſti ſervatoris noſtri ſepulcrum eſt, (quod una cum Æthiopibus tot jam ſeculis deſideramus,) recuperandum. Vtraque igitur gens ſimul ſuas eo vires intendere debet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Conſultum etiam eſt, ut eodem tempore Moſchi, quibuſcum de hac re per Oratores Polonos ante poteſt tranſigi, in Bulgariam & Moldaviam cum exercitu ingrediantur. Inſuper Rex provideat, ut uno eodemque tempore Imperator ac Tranſſylvanus in Hungariam, Polonus autem in Macedoniam ac Myſiam irruant: quod ita perplexus Turca, neſciat, cui loco primum ſit ferendum auxilium. Ad hanc unionem univerſalem amplectendam etiam Georgiani per mercatores Venetos clam induci poſſent, ut in Minorem Aſiam, & Trapezunta vel Cappadociam pedem ſuum inferrent. Et ad hoc promovendum utile videtur, ut quod quiſque occupaverit, ſibi proprium retineat: exceptis ſolum Hieroſolymis, quæ Regi Hiſpaniæ cedant: in quam terram ipſe poſt paulatim, uſus commoditate Maris Rubri, ponere pedem poſſet. Quin etiam, ut eodem tempore Hiſpani ac Veneti cum Papa mutuo fœdere obligati, in Moream [Peloponneſum,] Cyprum aut Ægyptum irruptionem faciant: cui uſui accommodatiſſima fuerit claſſis Neapolitana, cujus ſupra facta mentio. Poſtea, ut regiones bello captas locaque acquiſita inter ſe invicem dividant, conſtituentes Papam ſuper hac re judicem atque arbitrum. Et talis quidem confœderatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

deratio inter memoratos Principes inita ad decem annos definiatur ac vigeat. Nam hac ratione Turca domi implicatus à bello in Occidenti gerendo avocaretur, magno domus Auſtriacæ incremento. Ad hanc rem vero inprimis conducibile eſt fœdus cum Perſis & Presbytero Iohanne ſancitum, ſiquidem hi in Occidenti magna inferrent damna. Et hoc ipſum Venetis haud adverſum accideret, utpote quæ ſibi à Turca non parum timent: quem, quia vires non habent ei nocendi, benevolentia ac ſervitiis placare ſtudent. Sunt qui duobus modis utiliter, vel ſaltem cum ſpe alicujus effectus, contra Turcam conſpirationem vel fœdus iniri poſſe arbitrentur. Vno quidem; ſi omnes Principes, quorum regiones limitaneæ ſunt Turciæ, uno eodemque tempore eum aggrederentur, irruentes à ſua parte quiſque non præſcripto aliquo militum numero, ſed coactis omnibus copiis ac viribus: ita enim æquali potirentur fructu ac lucro. Altero vero, eoque nobiliori; ſi quam plurimi ſimul Principes, propter gloriam Dei & Eccleſiæ incrementum, ab una pluribuſve partibus eum adorirentur atq; impugnarent: prout priſtinis heroicis ſeculis factum, quando complures magnanimi Principes Germaniæ, Belgii, Galliæ & Italiæ,
ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

territoriis ſuis partim divenditis, partim oppignoratis, ultra quadringenta millia virorum colligentes, & in Orientem ducentes, Turcis Niceæ, Perſis Antiochiæ, & Saracenis Hieroſolymis, profligatis ac devictis, mox totum Orientem devaſtarunt, ac brevi tempore Terram Sanctam recuperarunt. Et hoc inprimis notatu dignum eſt, quod neque rex aliquis, nec Cæſar ipſe, illius expeditionis dux vel comes fuerit: & licet poſt demum reges Galliæ Angliæque, nec non Conradus ac Fridericus Imperatores, non quidem acquirendi, ſed acquiſita conſervandi ac tutandi cauſſa novas expeditiones ſuſceperint: nihil tamen ſingulare ac memoratu dignum effecerunt. Verum opus eſt in hac re, ut æqualitas lucri adſit: quæ niſi intercedat, omnis conatus evadit irritus. Nam ſicut in horologio una rota exorbitans aut delirans totam harmoniam & congruentiam diſſipat; ita in conventionibus ſi una pars deficiat, tota unio diſrumpitur. Id quod patuit in fœdere, inter Paulum tertium, Pium V. & regem Catholicum Venetoſque facto: quod licet ferventiſſimo partium ſtudio, & cum incredibili victoria adminiſtratum fuerit: tamen nihil omnino in fine effectum eſt, ob hanc unicam ſcilic. cauſſam quod non omnium ex æquo interer-

erat

erat illam expeditionem ſerio & ſedulo dirigi. Nam Hiſpania non multum utilitatis percipit ex conatibus contra Orientales factis, quæ tamen Venetis utiliſſimæ ſunt: neque horum multum intereſt rem in Africa geri; id quod Hiſpaniæ maxime conducit. Hinc Veneti metuentes vires Turcæ quas habet in Oriente; & Hiſpani timentes ſibi ab Algierenſibus ſuis vicinis, nunquam unanimiter æquo paſſu poſſunt in hoſtem procedere. Atque interim Papa ſedens in medio magnas expenſas facere cogitur ſine ullo fructu. Sed ut redeam unde digreſſus ſum, alius modus expugnandi Turcam, eſt, ſi aliquis ſuorum militarium ducum, qui primo Chriſtianus fuit, (quales fuerunt Cicala, Occhiali & Scanderbegus,) ingentibus promiſſis, puta ditionis alicujus Chriſtianæ corrumpatur, ut claſſem ſibi à Turca commiſſam ad nos traducat: vel etiam ſi forte regnum aliquod pro Turca Viceregis titulo gubernent, regna ipſa illis promittantur; qualia ſunt Tuneti, Algieræ, &c. Nam dubium non eſt, quin talis malit eſſe dominus abſolutus regni alicujus, cum ſpe tranſmittendi illud ad poſteros ſuos; quam nobile Turcæ mancipium eſſe, quod ſuis nec vivum quicquam dare, nec moriens quicquam relinquere poteſt. Et certe nihil talium

viro-

virorum rebellioni tam obſiſtere credo, quam quod deſperant, ſe conatus ſuos poſſe exequi, dubitantes de Chriſtianorum auxilio & fide. Si tamen cum iis ſincere & bona fide ageretur, facile ad id pelliciantur. Fieri etiam poteſt, ut generoſus aliquis vindex in ſervitio illius naſcatur, qualis fuit inter Hebræos Moiſes in Pharaonis: illi ſi rex authoritatem ſuam cum fide impertiret, Turcæ procul dubio inſignem calamitatem inferre poſſet. Poſſet etiam unio generalis inter Chriſtianos fieri, à qua ille ad apertum prælium provocatus, (ut paulo ante diximus) poſt unam aut alteram inſignem plagam ita terræ affligeretur, ut reſurgere nequiret: quippe nullos nobiles habens, qui illum relevarent. Idque eo facilius fieri poſſet, quod magnum numerum Iudæorum & Chriſtianorum in ſuo Imperio habet; qui ſi illum ſemel tantum proſtratum viderent, è veſtigio ad nos tranſirent. Ad talem tamen unionem conciliandam ſumma in Papa & in Rege requiritur longanimitas, aut vero ſumma neceſſitas, quæ omnes eo adigat. Oportet autem mutuis pactis ſe invicem obſtringere, ut cuique rata pars ejus quod acquiritur, concedatur; & ut illi qui ſuam obtinuerunt, reliquos quoque in eadem impetranda adjuvent; ad exemplum Ru-
ben

ben & Dan, qui poſtquam citeriorem Iordanis regionem occupaſſent ſibi, auxilium etiam tulere fratribus ſuis in parte ulteriori ſubigenda. Perſuadendum eſt etiam omnibus & ſingulis, Turcam per regem Aſſyriorum nobis præfiguratum fuiſſe, qui poſt expugnatum regnum Iſraëlis, id eſt, regnum Orientale, quod eſt Byzantium, oppugnaturus quoque ſit regnum Iudæ, id eſt, Occidentale, niſi pœnitentiam fecerint, atque in gremium Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt Hieruſalem noſtra, redierint: (quemadmodum ego in Monarchia mea Chriſtiana ſcripſi,) atque Imperium cum Sacerdotio ſimul interiturum, ni ita fecerint, illudque in Mundum Novum tranſiturum; ut ratione politica præmonſtravi; & fortaſſis ita etiam futurum eſt. Turca autem, qui typicus Cyrus eſt, extincto, Eccleſia renovabitur. Eſt igitur ſumme neceſſarium, ut omnes in perniciem lupi hujus rapacis ſe uniant, qui viribus & verſutia ſua nobis duo Imperia, & ducenta regna eripuit, dum mutuis inter nos diſcordiis agitamur. Quod ſi hoc fieri non poteſt, ſolicitanda eſt Perſia, cum Æthiopia, Moſcovia & Polonia, ut ſupra. Credo etiam barones ac ſubditos cito à Turca deſcituros, modo fidem habeant, ſe dominos abſolutos factum iri illius quod quiſque

poſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

poſſidet. Quæ omnes res in morte Mahumeti hujus tertii conſtitui debent, cum numerus ille ſit fatalis. Occupandi & intercipiendi etiam ſunt filii naturales Magni Turcæ, ne à fratre natu maximo trucidentur: quod Veneti per mercatores ſuos opportune perficere poſſunt; imo etiam per captivos Chriſtianos idem executioni mandari poteſt. Poſtquam jam hoc Imperium debilitatum ac diviſum erit, utile ſit ut eo introducantur concionatores, qui incolas erroris ſui convincant. Providendum ſimul omnibus modis, ut Typographiæ in Turciam invehantur, quarum beneficio homines illi ab armis ad literas divertantur, atq; per diſputationes Theologicas, & Philoſophicas, Peripateticorum, Stoicorum, Platonicorum & Teleſianorum, ab invicem diſſipentur atque enerventur. Nam qui literis ſolis navat operam, in prædam cedit illi qui arma cum literis ſimul exercet: quod videmus uſu veniſſe Athenienſibus, qui Lacedæmoniorum præda facti fuerunt, & quam utramque gentem Philippus Macedo poſtremo ſtrenuis ſuis militibus in poteſtatem ſuam redegit, edoctus prius ab Epaminonda quomodo hoc fieri poſſet. Cato dicere ſolebat, Romanos amiſſuros eſſe Imperium, cum primum animum ad Græcarum literarum ſtu-

ſtudium appulſuri eſſent. Hoc Turca nobis prudentior probe perſpexit, qui præelegit arma, tormenta bellica, & mancipia, id eſt, Iudæos à Ferdinando, ultimo rege Arragonenſi, ad illum tranſmiſſos: optime enim novit, qualis & quanta utilitas è mancipiis percipi poſſit, & quod liberi ab illis prognati ad uſum militarem educandi ſint. At typographias Arabicas à Magno Duce Hetruriæ ad illum demiſſas, excluſit; quod noluit magnum librorum numerum habere, quibus virtus militaris enervatur, & Mahumetiſmus diſputationibus quotidianis facile confundi poſſet. Nocuit vero nobis plurimum, quod legem nullam ſilentii habemus, qua jubeamur aliquid celare alios; quæ ſane utiliſſima foret. At jam in Germania omnia propalantur & divulgantur: unde factum eſt inibi, ut quilibet ſibi nova biblia cudat; Imperium in ruinam abeat; & luxu omnia diffluant. Niſi etiam metus ex Catholicis Belgas in armis detinuiſſet, tam effœminati hodie eſſent, quam ſunt Germani: idem & accideret Anglis: ut ſperandum ſit, illos, ni bello forſan orto exerceantur, cito interituros omnes, poſtquam molles, imbelles & diſcordes facti fuerint; ut ſupra docuimus; tantoque magis quod hæreſis illorum, liberum arbitrium negans, omni ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

tioni politicæ repugnet. Omnis autem hæreſis cum ad atheiſmum delapſa eſt per ſapientem prophetam (quales in Italia fuerunt Thomas, Dominicus, Scotus & alii,) in veritatis viam reducitur: habent enim hæreſes periodum ſuam ad modum Rerumpublicarum, quæ à regibus in tyrannidem, à tyrannide in ſtatum optimatium & inde in oligarchiam atque tandem in Democratiam, & in fine rurſus in ſtatum regium aut etiam tyrannicum circumaguntur, ac revolvuntur.

CAPVT XXXI.

De altero Hemiſphærio & Mundo Novo.

FEcit Mundi Novi admirabilis inventio, (à Sancta Brigitta prævisa, à Seneca in Medea claris verbis prædicta, &, prout à Sibylla hauſerat, ſuis coloribus & nominibus depicta) ut hemiſphærium noſtrum totum in ſummam admirationem abreptum ſit. Nam antiquiſſimorum Philoſophorum quidam, è quorum numero Xenophanes, crediderunt hemiſphærium illud alterum totum aquis eſſe coopertum; alii, ut Lactantius & D. Auguſtinus, non eſſe orbem terrarum quem ſol circumvolvatur: alii etiam crediderunt, velut Dantes, regiones illas

illas eſſe inhabitatas,& terreſtrem quendam paradiſum eſſe: quidam de eo dubitarunt, ut Ariſtoteles: quidam vero aſſeverarunt, verum ibi eſſe orbem, ex quibus Plato & Origenes. Vnde merito omnes Monarchiam Hiſpanicam admirantur, ut audacem & præpollentem, quæ tot maria ſubegit, & brevi temporis ſpatio totius terrarum orbis gyrum emenſa eſt: quod nec Carthago, nec Tyrus præſtare potuit, aut ſapientiſſimus Salomon, cujus claſſis in Goam & Taprobanam miſſa integrum triennium in itinere illo perficiendo conſumpſit; quod hodie noſtri trium menſium curriculo abſolvunt. Ita ut quamvis maxima loci intercapedo Monarchiam hanc debilem efficere videatur, tamen admiranda & compendioſa navigandi peritia, & alii unionis modi, quibus quotidie Hiſpani utuntur, aut, ſi libet, uti poſſunt, eundem valde illuſtrent, & plus quam forte aliqui crediderint, admirabilem reddant. Verum ut non ſolum retineat quod habet, ſed etiam augmentet, libet in medium producere errores, qui hactenus commiſſi ſunt, quique è medio quamprimum tollendi ſunt, additis modis quibus illa augeri etiamnum poteſt. Poſtquam Hiſpani primo per Occidentem in Mundum Novum penetrarunt, incolæ illius attoniti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cum ſtupore illos intuiti ſunt, adeo u
ignari & expertes noſtri orbis, illos cœ
litus delapſos crediderint, illoſque filio
eſſe nubium exiſtimaverint, qui per tor
menta ſua bellica tonitrua edant; audie
runtque cum pavore chartas & ſcriptu
ras loquentes, quæ omnia nos quoque ab
initio admirati fuimus: (neque enim o
mnia ſubito, ſimul, & uno temporis mo
mento nobis oblata fuerunt, ſicut illis:
omnia præterea inuſitata paulatim aſſue
tudine familiaria redduntur:) deniqu
illi omnes ſe ultro Hiſpanis, quos Deo
eſſe ſibi perſuadebant, tradidiſſent; niſ
ipſi vita ſua diſſoluta & corrupta omnem
divinitatis opinionem procul à ſe remo
viſſent; avaro modo & crudeliter auro
quod illi negligebant, inhiando: adeo
ut incolæ illi coacti fuerint ad montes re-
currere, & ad defendendum ſe expedire.
Atque hoc in cauſſa fuit, quo minus Hi-
ſpani univerſæ regionis Peruvianæ, (quæ
altera parte Africam magnitudine ſupe-
rare dicitur,) domini evaſerint, ſolam-
que oram maritimam planam & aper-
tam teneant; nec Septentrionem verſus
ultra Floridam, Hiſpaniam Novam, No-
vamque Franciam, Baccalaos & Mexi-
canam regionem, perrumpere potuerint,
ſemper à barbaris repulſi. Vnde liquet,
illos primo omnium exiſtimationem,
quam

quam illi de eis conceperant, vita incul-pata fovere debuiſſe; ſic enim omnia in poteſtatem ſuam conceſſiſſent. Imo pa-lam profiteri & prædicare debuiſſent, ſe revera filios eſſe ipſius DEI, non nu-bium; ſemineque multo nobiliori & ani-ma immortali creatos; & quod DEVS cœlum & terram condidit, omniaque ſuo ſolius arbitrio diſponit atque gubernat; & quanto nobilior unaquæque creatura, (ut ſunt liberi ipſius homines illi ſimiles,) tanto majorem ejus curam gerere, ſibi-que eam magis commendatam habere, quam cætera: item quod omnes homi-nes peccaverint cum parente ſuo primo inobediente, quem imitari in malo po-tius quam in bono ſint; tamen à DEO patre omnium uſque adeo adamati fue-rint, ut media quæſierit revocandi illos ad ſuum cultum, & tandem in ipſum cœ-lum ad ſe tranſportandi; mittens illis do-ctores Abelem, Enoch, & alios. Verum quod illi in pejus ſemper ruendo DEVM patrem ſuum irritaverint, qui univerſali diluvio omnes, unica excepta familia, ſubito deleverit. Quodque idem interpo-ſitis aquis illorum orbem à noſtro ſepa-raverit, (quod idem & Plato in Atlan-tico ſuo aſſeruit;) quodque Noë colo-nias in illorum regionem miſerit, illam-que totam cum Peru uſque ad Bacca-

laos habitatoribus compleverit. Quodque poſtmodum tota progenies Noë, ſub qua etiam ipſi comprehenſi, peccarint paucis exceptis: miſſoſque poſtea à DEO fuiſſe novos magiſtros, veluti Moiſen & alios, quibus, cum mundus parum fidei haberet, DEVM ipſum aſſumpſiſſe carnem humanam, flagrantique noſtri amore, naturam noſtram induiſſe, ut illo quaſi inſtrumento docere nos poſſit, qua via nobis ad cœlum gradiendum ſit, quomodoque veritas colenda ſit: atque hæc omnia per amicas perſuaſiones, non armorum violentia. Denique quod DEVS ipſe ſuo proprio exemplo comprobaverit ea quæ docuit; atque demonſtraverit, quo modo nobis hic ſuper terram converſandum ſit: & quod, poſtquam nos docuit, ne mortis quidem terrore à DEO cultuve divino recedendum nobis eſſe, ipſe primus mortem, à crudelibus tyrannis occiſus ſubierit, ut illius veſtigiis inſiſtamus; quodque tertio die à mortuis reſuſcitatus in cœlum aſcenderit, relicto in terris ſuo Vicario, quem Papam vocant, qui in illius tribunali ſedet, cœleſti ſapientia imbutus, cum multis fortiſſimis Principibus, qui veritatem divinam propugnent: inter quos rex Hiſpaniarum primas tenet. Denique DEVM miſericordia erga illos motum, cum eſſent idololatræ,

violantes legem naturæ, Hiſpanos ipſorum fratres miſerit, qui illos in veritatis viam reducant, & per Papam & regem Hiſpaniæ (à qua orbis ille per diluvium ſeparatus ſit) ad ſe pertrahant. Quodque nobis ſcientiam largitus ſit fabricandi naves, mariſque & equorum domandorum, quoque modo chartæ vocales faciendæ ſint, ut illi hæc omnia intuentes fidem nobis adhibeant; quodque nos præter hæc multa alia miracula edere poſſimus, quæ ipſe in hoc mundo edidit; qualia ſunt, ſanare ægrotos, & reſuſcitare mortuos, ſi modo ſanctiſſimis illius præceptis obedierimus, & aqua in nomine DEI unius baptizati & inviſibili gratia à peccatis mundati fuerimus. Quodque arma hæc nobis dederit ad ſumendam vindictam de omnibus, qui ſeminationem veritatis impedire conantur. Hoc prooemium in demulcendis illis ſumptum oportuit, multoſque ex illis qui per Phyſiognomiam idonei viſi fuiſſent, eligere, atque in hac doctrina erudire: poſtaque mittere eos, tanquam Samaritanam illam, ad vocandos populares & cives ſuos, omni comitate atque manſuetudine, ſine crudelitate atque avaritia, iiſque perſuadere, aurum nos non plus curare quam ipſos; quodque illo ſolum utamur ad permutationes rerum, expetamuſ-

muſque id ſine omni avaritia; oſtendentes nos in vicem auri ferrum ad illos deportare, quod omni auro utilius eſt ad excolendam terram, vitamque ipſam protegendam. Quibus omnibus perfectis magnum numerum illius gentis in naves impoſitum oportuit, quaſi juſſu divino, Papæ & regi Hiſpaniarum patefacto, in quorum regiones eos exportare & per colonias Africæ dividere, indeque in Hiſpaniam transferri oportuit, ut laborarent, terram colerent, atque artes mechanicas exercerent, dum Hiſpani rei militari operam dant, atque paulatim univerſam illorum regionem ſibi ſubjiciunt. Sed Hiſpani qui primo ibi intrarunt, rudes & meri milites fuerunt, neſcientes, quantum opinio divinitatis in animis hominum valet, ad ſubjugandos illos. ſed confeſtim, quaſi in propinquorum hoſtium fines ingreſſi, cœperunt diripere aurum, palam præ ſe ferentes, ſalutem illorum parum ſibi curæ eſſe, minitanteſque nullo præmiſſo præcepto, ut baptizari ſe ſinant. credantque Chriſtum pro ſe fuiſſe crucifixum. Quæ res primo ſane intuitu abſurdiſſimæ ſunt, nimirum quod aqua quenquam in cœlum perducere, & quod DEUS mori poſſit, ſtatimque ab initio offendiculo omnibus fuerunt, ut loquitur Apoſtolus Paulus; non obſervantes canonem

nonem Apoſtolicum, *Prædicate hominibus.* Sic igitur à populo illo repulſi inceperunt eos occidere, quibus in montes deinde confugientibus Hiſpani diſcurrerunt ad homines venandos, non ſecus ac ſi feras beſtias venarentur, domumque reverſi ſinguli gloriabantur quot quiſque interfeciſſet: hocque modo terram illam ad tria millia leucarum ab omni humano cultu deſertam reddiderunt, non colligentes communione humanitatis hos fratres ſuos eſſe, noſque omnes genus atque originem ducere à Noë, illoſque qui baptizati non ſunt, non ideo pro beſtiis eſſe habendos. Vnde miſeri illi videntes aurum ab Hiſpanis maximi pendi, & quidem majoris quam ipſos homines, offenſi fuerunt, dicentes, illos moliri imperium ſupra ipſos ſub parvo aquæ aſpergine, (id eſt, baptiſmi,) non aliter quam lupi dominium in cæteras pecudes affectare, eaſque dilacerare ſolent. Retroceſſerunt ergo in montes, atque aliquoties cum Hiſpanis congreſſi vicerunt illos, ita ut etiamnum edocti illos ſuperare, adverſis armis procurrant, non ut deos illos reverentes, ſed ut lupos rapaces repellentes. Vnde aliud malum natum eſt, ſcilicet, ut Hiſpania laborans ipſa inopia hominum, colonias in illas regiones mittere jam cogatur: &, ſi palam di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cendum quod res eſt, milites illi, tam pauci numero regionem tam vaſtam retinere vix potuiſſent. Cui metui ut mederentur, ad necandum progreſſi ſunt: quod ſummæ ignorantiæ & ſævitiæ eſt. Vnde judico, Regi Hiſpaniarum magis laborandum eſſe, ut regionem illam prius hominibus frequentem reddat, quam aurum vel argentum inde abſtrahat, ſi lucrum inde obtinere, & dominus terræ permanere vult. Inprimis vero curet Catechiſmum illis præſcribi ſua lingua, qui illos ante omnia legis naturalis & providentiæ divinæ principia edoceat; deinde hiſtoriam mundi uſque ad Chriſtum natum & noſtra tempora, via perquam compendioſa & brevi; ſicuti formulam quandam in prooemio ſupra propoſui; & ſicut ſancti Patres qui paganos ad fidem Chriſtianam converterunt, ejuſmodi methodo brevi quoque uſi ſunt, nempe Clemens & Lactantius; non vero prolixa, quali hodierni ſcriptores noſtri utuntur. Eligendi etiam ſunt ex illa gente qui in fide Chriſtiana edocti ſacerdotum & concionatorum munere fungantur, ablegenturque ad reliquos ſuos conterraneos, montes incolentes, ad quos Hiſpani prædicatores pervenire nequeunt, ut ipſis fraternitatem ſuam offerant, indicentque quæ Papa & Rex Hiſpaniarum

nomine

nomine Divino nunciari volunt, quamque ſevere DEVS noſtrum orbem hæreſibus & Mahumetiſmo afflixerit, propter inhumanitatem ſcilicet priorum militum. Regem igitur jam ſecunda vice ad ipſos mittere, qui eos comiter & ſine moleſtia ad fidem Chriſtianam invitent. Adjungendi autem illis aliqui etiam ex noſtris ſunt, qui, ubi ſe præclare geſſerunt, ad Epiſcopalem dignitatem, vel ad Abbatias promoveantur, ſcilicet, ut cæteri ad ſimiliter ſe gerendum inſtigentur, & ut populi illi ſciant, magnos honores à nobis propoſitos eſſe magiſtris, qui ad docendos illos ablegantur. Omnino autem neceſſarium videtur; inſtitui aliquem ordinem prædicatorum novi mundi, cum hoc titulo expreſſo, cum ipſa res hoc flagitet. Tum etiam regi Hiſpaniarum providendum eſt potius, quomodo terra illa populoſa & plena incolis reddatur, quam quomodo incolæ illius exterminentur. Ex illis vero, qui converti nolunt, faciat ſervos, ad imitationem Romanorum & Luculli, qui ſolus quadraginta millia mancipiorum habuit, quorum opera uſus eſt ad montes novem ſolo æquandos: poteſt illos etiam Rex ad triremes adhibere. Illos vero, qui converti ſe patiuntur, ad operas mechanicas & fabriles admovere licet; ut Hi-

ſpani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſpani ſolis armis vacare neceſſe habeant: imitatus in hoc Crœſum Lydorum regem, qui omnes quotquot armis vicit, ad operas fabriles; ſuos vero perpetuo in armis habuit. Quare cenſeo magnum Indorum numerum in Hiſpaniam atque Africam tranſportandum eſſe, atque in oris Africæ & Aſiæ urbes populoſas extruendas, quarum propugnacula & tribunalia Hiſpanis, agriculturæ vero cum artibus mechanicis Indis committendæ ſunt, aut aliis ſimilibus mancipiis, atque ad fidem noſtram converſis: regibus vero illorum converſis & in Hiſpaniam tranſportatis baroniæ dentur, ut imperium per illos illuſtre fiat, utque populi illi aſſueſcant amare nos, & regiones noſtras. Quod ſi rex hæc omnia obſervaſſet, plus terrarum hodie in Africa atque Aſia haberet, atque Hiſpania magis eſſet frequens, & fortis, Munduſque Novus multo ditior. Quare abſurdiſſimum eſt, terram illam facere promptuarium auri atque argenti, & non potius hominum; cum hi multo pretioſiores ſint. Atque ex illis Indis artificibus, & progreſſu temporis Hiſpanizatis, poſſunt etiam fieri milites; quod Turcæ in more poſitum eſt facere cum noſtris. Deinde in ſingulis provinciis Novi Mundi inſtituatur ſeminarium Auſtriacum juniorum militum, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

qui neminem alium pro patre agnoſcant, præterquam Regem : item ſeminarium mulierum ; de quo ſupra ; & aliud nautarum ; de quo infra. Sic fiet intra triginta annos, ut Rex domeſticis & fidelibus abundans, auxiliariis & mercenariis militibus opus non habeat ; conciliabitque animos Indorum, videntium liberos ſuos tam liberaliter & honeſte educari, neque tam inconditos eſſe quam fuerunt ante ; faciliuſque in ſervitium Hiſpanorum conſentient. Poſtremo, quandoquidem illa pars mundi à noſtra longe diſtat, neceſſe erit illas quantum fieri poteſt uniri ; cum omne Imperium abſque unione mancum ſit. Prima ſpecies unionis eſt vera religio : propter quam cauſſam omnibus portubus & fluminum oſtiis validæ turres imponendæ ſunt, ne Angli perrumpentes hæreſin importent, qua omnis intentio Hiſpanica aboleretur. Neque quicquam tam reverenter coram hoc populo habendum eſt, quam nomen Papæ, quo firmius ille religioni noſtræ adhæreat ; neceſſeque habeat regulam vitæ temporalis & modum, ſalutem æternam conſequendi, à nobis petere. Secundo, ut Rex abſolutus dominus ſit : nam ſi alius quis Chriſtianus in illa parte mundi in regem eligeretur, actum eſſet illico de Rege noſtro ; nemo autem eſt à

quo

quo hoc verendum ſit, niſi magnus aliquis baro; præcipue ſi è proſapia alicujus eorum qui primi Novum Mundum occuparunt, ortus ſit; ut videlicet ſi à Columbo, qui primus in terram illam ingreſſus eſt, aut Corteſio originem ducat. Ita ut neceſſarium ſit, heroas, qui actus tam inſignes præſtiterunt, maximis quidem honoribus & dignitatibus extollere, ſed extra illam regionem, quam acquiſiverunt. Sicut Marchio Vaglienſis, nepos Columbi, qui, parum abſuit aliquando, quin in regem eligeretur: imo ipſi Vice-reges, ut vocant, imperium ſibi arrogare poſſent. Quare non niſi baro aliquis potens qui in Hiſpania aut Italia magna dominia poſſideat, Novo Mundo præponendus eſt, vel ad minimum Cardinalis aut Epiſcopus aliquis, qui multos apud nos conſanguineos habeat. Munimenta etiam cum arcibus, Præſidibus committenda ſunt Caſtellanis, qui remunerationem à Rege ſperant; ac Vicereges non in arcibus, ſed in urbibus habitent: curandumque ut arcium præfecti & Vicereges ut plurimum inter ſe diſcordes ſint. Regionibus à Luſitanis devictis Hiſpani præſides præficiendi ſunt, & viceverſa, uniendo ſcilicet imperio: & ſic regnum felicius ac tutius adminiſtrabitur. Sæpe etiam mittantur Clerici ad munimenta

nimenta inſpicienda, ante omnes autem Capucini. Coërcenda etiam eſt authoritas ſingulorum; nec cuivis in rebus magni momenti nimia potentia concedatur: ſed ut omnes conjuncti aut per literas id faciant. Prout res Italicæ Statum attinentes optime creduntur Legato Regio Romæ & Viceregi Neapolitano & Gubernatori Mediolanenſi. Tertia unio, eſt bonorum: unde ego quidem judico, regi terram omnem recens occupatam imbelli turbæ, infirmiſque Hiſpanis, ex lege Agraria diſpertienda eſſe, adjunctis Africanis & Indis nuper eo tranſportatis; cum hac ſcilicet conditione, ne quiſquam illorum quicquam ut proprium poſſideat, ſed omnia ſint regis, exceptis ſacerdotiis; campi, artes & officia crebro mutanda ſunt; ut omnes in ſolum regem intenti ſint, qui hæc omnia donat: fructus tamen qui è terra colliguntur, ſibi retineant. Conſtituanturque ex Clericis judices, qui cuique ſuum ita aſſignent, ut pars his alendis, pars militibus ſuſtinendis, pars etiam tributo regio adjudicetur: iique proſpiciant, ne milites Hiſpani quidpiam præter arma poſſideant, ni forte hortum aliquem recreandi animi cauſſa; alanturque publicis ſumptibus: filii autem illorum ad arma inepti ad ſtivam ablegentur, in eorumque loco nonnunquam

quam quo tota ditio Regis ſolius propri
ſit. agricolæ maxime ad hoc idonei i
armis exerceantur: Sic regio ex voto re
gis adminiſtrabitur; ipſeque Rex ant
omnia amabitur; neque ſubditi poſſeſ
ſiones amplas deſiderabunt, quæ in ſol
ſervitio militari ſitæ ſunt, per quod illa
quotidie augentur. Cumque expedire vi
debitur, vites aliarumque rerum ſemin
illis mittenda ſunt, ut habeant quibus ſ
delectent: ſed tamen ita habeantur, u
ſemper auxilio noſtro indigeant ad ſu
ſtentandum ſe; quibus ſi vinearum
agrorum & armorum cultus, cum uſu
typographiarum, ſtructuraque navium
denegaretur, Rex in ſuſpicionem tyrannidis facile incideret. In locis commodis illius hemiſphærii erigendæ ſunt Scholæ aſtronomicæ, mathematicæ, mechanicæ atque aliæ, prout ſupra indicatum; ut conſtellationes, maria, regioneſque illius loci pernoſcantur. Reges Regulive illius terræ minime trucidandi, ſed in Hiſpaniam tranſportandi ſunt; hoc enim majeſtatem Imperii magis adaugebit, & ad conciliandum incolarum favorem non parum faciet.

Capvt XXXII.

De Navigatione.

VErum, ad Mundum illum Novum in fide retinendum opus eſt, ut complures urbes ligneæ fabricentur, atque in mare deducantur, quæ mercibus onuſtæ perpetuo ultro citroque remeent, continuoque circumeundo impediant Anglos aliosque, ne idem facere conentur. Ad quam rem regi Hiſpaniarum multis navibus opus eſt, quæ ſufficiente numero nautarum inſtructæ ſint, ad illas ſcite regendas & deducendas, Novumque Mundum totum cum Africa, Aſia, Calicut, China, Iapponiaque, & inſulas ſubjugandas. Modus vero perficiendi hæc omnia facilis eſt, ſi modo ille magis hominibus, quam pecuniis colligendis incumbere voluerit. Poſtquam manifeſto apparuit, illum in expeditionibus ſuis contra Angliam, Belgium & Galliam factis, per nimiam divitiarum fiduciam, & bonorum militum penuriam, deceptum fuiſſe. Primo itaque in omnibus inſulis, Siciliæ, Sardiniæ, Canariæ, Archipelagi D. Lazari, in Hiſpaniola itidem & Philippinis, ſeminaria nautarum inſtituenda eſſe, armamentariaque in oris Hiſpaniæ maritimis ædificanda, in quibus pueri diſcant naves & triremes conſtituere, ſtellas di-

ſcernere, acus nauticæ & tabularum maritimarum rationem pernoſcere; ut, inquam, hæc omnia à quolibet etiam craſſi ingenii præſtari poſſint: & ſicubi locum aliquem depopulatur, majorem rationem captivorum, quam ſpoliorum, habere debet; ſapientior videlicet factus, & aurum atque argentum meliori pretio permutans. Secundo quocunque terrarum claſſis illius appellitur, portus & armentaria fabricanda, inprimis in oſtiis fluminum & ſinuum, naves & triremes conſtruendæ, in quarum deductione nautarum in modo dictis ſeminariis educatorum opera utilis fiet. Tertio auctus multitudine hominum, agat cum ditioribus Luſitanis & Genuenſibus, ut libere liceat utrique parti naves & triremes fabricare, Mundumque Novum qui totus jam fere Hiſpani eſt, illis circuire, portus intrare, oppida & caſtella expugnare, omnemque prædam inde aggeſtam ſibi ſervare; modo regi illa loca ipſa reſtituant, cum omnibus utriuſque ſexus liberis natu minoribus, ad complenda ſeminaria. Cum vero magnam aliquam integram regionem occupant, baronatus totos in remunerationis pretium accipiant. Hoc modo & Rex ditabitur, & Genuenſes inſtrumenta fient regni illius confirmandi & dilatandi; qui adeo divitiis abundant, ut poſſint

ſeorſim

ſeorſim integras claſſes contra Turcam in mare deducere, regioneſque quam plurimas ſibi ipſis acquirere: igitur claſſes regiæ ſemper majores atque inſtructiores eſſe debent. Quarto, Hollandi, Dantiſcani & Gothi amice, ut ſupra, compellandi ſunt, ad idem præſtandum; liberis illorum in obſides datis, ſe locos occupatos nec ditioni ſuæ aſcripturos, nec hæreſin introducturos. Hocque modo citius in Regis poteſtatem cederent, ad exemplum Genuenſium, etiam ſine armis, totuſque mundus Hiſpanos mores indueret. Quinto, ſeptimo quoque anno evocandi ſunt damnati ad mortem, & ſub ſpecie mitioris pœnæ in Mundum Novum deportandi, liberique hæreticorum, aliorumque recens in Belgio aut Africa ſubjugatorum conquirendi, ſeminariiſque imponendi, ut poſtmodo utilem Regi operam militiæ domique, in nauticis & agriculturis præſtent. Et, ut probe ſciat Rex, nulla re magis opus habet, quam hominibus, & dirigendis rebus ſuis viro inprimis aliquo experientiſſimo & præſtantiſſimo, qualis fuit Lycurgus, aut Solon: cujus generis hodie plures quam olim inveniuntur, ſed invidiæ obnoxii parum agnoſcuntur. Mittendi etiam per univerſum mundum Mathematici Belgæ & Germani, ad digno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſcendos ſiderum motus, conſtellationes & terrarum ſitus, profunditates marium quem motum ex Oriente verſus Occidentem habeant, cum illorum æſtuationibus & refluxibus, & quæ 25. luna creſcunt & 26. rurſus decreſcunt, quæque æſtivis navigationibus commodiora, quæ hibernis, & ſub quo ſidere, quibus in partibus aquæ illorum craſſæ & denſæ, quibus contra tenues & ſubtiles, quænam frigore conglacientur, quæ non, cum omnibus illorum ſcopulis, inſulis, & brevibus: nam ſcientia horum monarchiam Hiſpanicam magis quam quidvis aliud promovebit. Nam Deus ipſe vult, ut hæc opera ejus cognoſcantur, revelatque ea iis qui hujuſcemodi ſcientiæ deſiderio flagrant. Annotandi etiam diligenter ſunt loci habitabiles, cœlique temperati, ubi terrarum Pygmæi, ubi Gigantes, ubi nigri, ubi rubicundi, ubi albi, ubi virides, procedendo ab uno climate in aliud. Nam perfecta mundi cognitio eſt medietatis illius quaſi poſſeſſio. Deuſque ipſe Hiſpanis mundum poſſidendum dedit, quia ferventiori deſiderio hujus cognoſcendi tenentur; atque Columbum honoribus & dignitatibus decoravit, quia concupivit mundum, Dei ſcilicet partum, cognoſcere. Quin & modus hic utilis eſt ad Septentrionales admiratione Hiſpaniarum

ſubju-

ſubjugandos atque enervandos. Vtque naves perpetuo curſu huc illuc ſecure perducantur, inſtituendi ſunt à Rege duo Ordines Equitum maritimorum, ad imitationem Melitenſium; quorum Capita in Hiſpania reſideant, ac in duo Collegia dividantur, Orientale ſcilicet & Occidentale, in quibus à pueris artem nauticam diſcant, atque tirocinia faciant; dato juramento ſe maria perpetuo circuituros, atque regno Hiſpanico protegendo atque augendo omnem ſuam operam impenſuros: ad quod præcipue adhibendi ſunt ſecundo-geniti baronum, qui in pelago officiis ducum & militum pariter fungantur. Quod ſi rex hæc omnia præſtare in animum induxerit, univerſo mundo formidabilis evadet, nedum Angliæ, quam nunc metuit; Turciſque & Perſis, aliiſque, omnis deinceps ſpes claſſium in mare deducendarum præcidetur: ſimulque Præbendæ quas homines inertes jam intercipiunt, ad hujuſmodi heroas Equites derivabuntur. Præponenda etiam ſtrenuis illis patriæ propagatoribus, qualis Corteſius fuit, præmia non ſolum pecuniaria aut utilis poſſeſſionis, nam hæc avaritiam olent, & munera ſimilia faciunt venalia; ſed maxime honores: ut videlicet more Romanorum triumphent, intrentque in Hiſpaniam per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

arcus triumphales, in quibus loca recens occupata depicta ſint, cum modis quibus heroes illi in occupandis illis uſi ſunt: erigendæ etiam ſtatuæ ſunt in honorem illorum, ſubjectis è metallo ſtellis Novi Mundi. Nec verbis exprimi poteſt, quantum hoc proſit ad diſciplinam militarem conſervandam, ad excitandos omnium animos ad egregium aliquod facinus audendum. Multum etiam referret ad propoſitum, ſi Rex juberet in acta referri egregia facinora non ſolum ducum, ſed militum quoque, addito uniuſcujuſque nomine; nam hoc quaſi ſtimulo excitarentur reliqui. Cum enim monumenta breveſque inſcriptiones in ſacellulis famæ cupidine vivos ad virtutis ſtudium accendant; quid creditis futurum, ſi multi videant nomina ſua in annalibus vel hiſtoriis deſcripta per univerſum terrarum orbem delatum atque æternum celebratum iri? Qua certe in re à Caſtellanis noſtris perverſe erratum eſt, qui cum memoratu digniſſima præſtiterint facta, qualia ſunt tot marium circuitiones, tot inſularum & continentium detectiones, &, quod maximum omnium eſt, ipſius Novi Mundi repertio; nemini tamen idoneo hoc negotii dederunt, ut geſta ſua, Græcorum atque Romanorum geſta multis modis ſuperantia, literis deſcripta,

&,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

&, ad poſteros tranſmiſſa, æternitatis memoriæ conſecraret. In hac vero parte Luſitani Caſtellanis præſtant: illi enim invenerunt, quorum induſtria virtutes ſuæ propalarentur, tam Latina, quam ſua vernacula lingua. Secundum præmium ſpectet ad utilitatem, ſitque baronatus ſummus illius regni: cujus rex in Hiſpaniam tranſportatus fide Catholica imbuendus eſt, deturq; ei baronatus in Hiſpania poſſidendus, quo illa illuſtrior reddatur, certioreſque fiant reliqui principes regni recens acquiſiti, reges religionem noſtram amplectentes non interfici, ut Motecuma, Atabalipa, & alii quidam reguli; ſed comiter excipi, benigneque haberi: ſiquidem metus internecionis illos ad arma contra Hiſpaniam excitat. Res Status certum quid in ſe continent, quod ignoratum cætera omnia difficilia atque futilia reddit; perinde ac in navigando alii vela expandunt, alii remigant, alii ſaburram ingerunt vel egerunt; & tamen hæc omnia fruſtra, niſi prudens gubernator accedens perito regimine cæterorum omnium labores promoveat. Quare Hiſpania maximopere opus habet viro ſapiente, qui, in qua re regni clavus ſitus ſit, norit, abſque quo omnes conceptus, machinationes, labores, expenſæ & conſultationes ad nihilum recident. Poſtquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Clemens VIII. Pontifex Romanus clerum reformare aggreſſus eſt, omnes operam ſuam ingerebant, ad cudendas novas leges, ordines, ceremonias, & jejunia, cum veſtimentis, quæ unuſquiſque induere debuerat. Ego vero tum temporis ad Sanctæ Sabinæ degens, palam dixi, omnia commiſſariorum conamina vana eſſe, cum Regula ſola ad omnia illa præſtanda ſufficiat, neque illi ſciant, in quibus cardo rei verſetur: addidique, totius reformationis momentum in hoc conſiſtere, ne ullus cœnobitarum propriam clavem aut ſeram cellulæ ſuæ thecæve ullius peculiaris ſervet; ſed ut una Dormitorii clavis omnium thecas atque cubicula aperiat: ſicque una opera proprietatibus, libris laſcivis, donis, & poëſi obſcœnæ finem impoſitum iri. Sed poſtquam capita & Priores hujus navis perſpexerunt, ſuum quoque detrimentum illa in re verſari, nullus ad clavum hunc navis ſeu caput rei accedere voluit: nam in novitios ſolum & fidei tirones leges conſtitui voluerunt, non in ſe quoque: ita bona intentio Papæ intercidit. Ergo Hiſpania ſapiente quodam Palinuro opus habet, cujus ductu omnia præſcripto modo rite adminiſtrentur. Quod certe majeſtatem Imperii magis adaugebit, quam Machiavelli ſuggeſtiones & cautelæ, quæ

nihil

nihil bonæ conſcientiæ in ſe continent, diſſimulant inſuper etiam tyrannidem, & crudelitatem principum, armando illos lege majeſtatis, aut ſimilibus, etiam mulierculis non tolerandis, ne dicam populis, libertati aſſuetis. Vnde ſatis mirari nequeo, extitiſſe, qui authorem hunc impium cum ſuis conſiliis in cœlum uſque evehant, ac ſi norma & idea quædam eſſent, bene & feliciter regendi. At illud non tam miror, quam indignor, videns, in reipubl. adminiſtratione receptam eſſe perverſiſſimam opinionem quorundam, qui dicunt, quædam licita eſſe reſpectu ſtatus, alia reſpectu conſcientiæ. Qua opinione profecto nihil magis abſurdum aut impium ne excogitari quidem poteſt. Nam qui Conſcientiæ univerſalem ſuam juriſdictionem in omnes res humanas tam publicas, quam privatas ſubtrahit, oſtendit, ſe nec conſcientiam nec Deum habere. Beſtiæ ipſæ naturali quodam inſtinctu ad res utiles ducuntur, atque à nocuis abhorrent: & lux rationis ac dictamen conſcientiæ, homini data ut ſciat bonum à malo diſcernere, cæcutiant in rebus publicis, inque magni momenti rebus deficiant? Sæpe neſcio quæ cupido me ſubeat, ſcriptis oſtendere, in quibus author ille cenſoria virgula coërcendus ſit, tam ipſe, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

aſſeclæ illius, Principum conſiliarii, & regni participes: ſiquidem omnia ſcandala Eccleſiæ Dei & perturbationes orbis terrarum inde orta ſunt: quam tamen recondidi in aliud tempus, poſtquam vidi alios hoc eodem de ſubjecto fuſius ſcripſiſſe, remque ipſam per ſe ſatis claram eſſe. Sicque aliud in manus ſumſi, quo majeſtatem Imperii Hiſpanici illuſtrarem; & quam conſervare, majoris eſt operis quam acquirere. Nam res humanæ quaſi natura ſua modo creſcunt, modo decreſcunt, more lunæ, cui illæ ſubjectæ ſunt. Quare ſingularis & incredibilis momenti ac ſupra hominem fere conatus eſt, firmiter illas retinere, ſemelque auctas conſervare, ne in pejus aut præceps ruant. Nam in acquirendo occaſio, fortuna & hoſtium errores, aliaque accedentia, plurimum juvant; quæ tamen extra hominem ſita ſunt: ſed tueri parta, excellentis ingenii eſt, ſummæque prudentiæ. Fortitudo ad acquirendum, ſed prudentia, eaque paucorum, ad conſervandum prodeſt. *In turbas & diſcordias peſſime cuique maxima vis: pax & quies bonis artibus indigent.* Lacedæmonii ut oſtenderent, rem majoris momenti eſſe conſervare ſua, quam occupare aliena, illos ſolum punierunt, qui clypeum in acie amiſerant, non etiam illos, qui amiſerant

ſerant gladium : atque inter Germanos *ſcutum reliquiſſe præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas.* Romani quoque ſoliti fuerunt Fabium Maximum clypeum reipublicæ ſuæ appellare, Marcum Marcellum vero gladium: conſtat vero illos pluris feciſſe Fabium quam Marcellum. Hanc opinionem Ariſtoteles quoque habuit, qui in Politica ſua aſſeveravit, officium legiſlatoris non in hoc conſiſtere, ut conſtituat & formet civitates; ſed in eo, quomodo illæ quam diutiſſime perſiſtere poſſint. Nec illud nos moveat, quod propagatores regnorum ſemper majoris æſtimati fuerunt, quam conſervatores, nam hoc ideo fit, quia effectus illorum magis in oculos hominum incurrunt, majorem plauſum ſtrepitumque excitant, pluſque oſtentationis & novitatis hominibus amicæ in ſe complectuntur. Atque hæc cauſſa eſt, quod plerique expeditiones majori plauſu & delectatione proſequuntur, quam pacificas illas conſervandi artes: quæ tamen, quanto plus tranquillitatis habent, tanto majus judicium & ingenium arguunt illius qui illis uti ſcit. Et quemadmodum flumina perrennia nobiliora ſunt multo torrentibus ex fortuitis pluviis collectis, propter quos tamen plures cum admiratione contem-

plandos ſubſiſtunt, quam ad flumina quiete decurrentia: ita ſimiliter vulgo in majori admiratione habetur qui acquirit, quam qui conſervat. Revera tamen difficilius eſt (ut Florus dixit) provinciam ſuſtinere quam facere: viribus parantur, jure retinentur. Concludimus ergo dicto illo Poëtæ, *Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.* Satis diſſeruiſſe mihi videor, de prudentia & occaſione, qua Regi Hiſpaniarum utendum eſt, tam in generali quam particulari; licet decennali miſeria detentus, & ægrotus, nec relationibus inſtrui, nec libris aut ſcientiis ullis adjuvari potui: ut qui ne ipſa quidem SS. Biblia habuerim: ut ignoſcendum mihi ſit, ſicubi delirans quædam non ſuo loco aut etiam bis dixi. Facimus ut poſſumus, quia ut volumus non licet: quæ tamen omnia meliori occaſioni reſervo. Interea igitur D. V. hoc tumultuarium ſcriptum legat; quod tamen in proximum Paſchatis feſtum ad incudem revocare ſpero: tumque plus induſtriæ adhibebo, auferens vel addens ubi opus fuerit. Habet & ſæculum noſtrum ſuos Solones, Lycurgos, & Ioſephos, à DEO ipſo miſſos: verum illi opprimuntur, neque à principibus admittuntur: falſiſſimumque eſt quod vulgo dicitur, nullos noſtra ætate Solones aut

Ariſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Ariſtoteles naſci. Imo naſcuntur & hodie illis etiam præſtantiores ; ſed latent, dum gentiles in admiratione ſunt, Chriſtianis vero invidetur. Hæc ſecretis auribus commiſſa ſint : poſt enim renovata majoris æſtimabuntur, quam folia Sibyllæ Regi Romano æſtimata fuerunt. Invidia, quo minus hæc dicam, deterrere me haud poteſt ; nam illis probatis & oſtenſis, Hiſpania ſciet, quid ſibi agendum ſit, perſpicietque meum illam adjuvandi ſtudium, *Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.* Hiſce valeat V. D. cujus honoribus & meritis felicem longævitatem & incrementum à DEO oro & opto.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

APPENDIX
AD
MONARCHIAM
HISPANICAM
THOM. CAMPANELLÆ.

Vbi hæc quæſtio tractatur:

Vtrum ſit optandum, univerſum orbem Chriſtianum ab uno ſolo Capite ac Monarcha regi ac gubernari?

INTER compluresarduas & curioſas quæſtiones multorum ingenia mire vexantes, & quibus DEO quaſi præſcribitur, qua ratione mundum is gubernare debeat, haudquaquam infimum locum obtinet hæc: Expediatne, univerſum terrarum, aut ſaltem Chriſtianum orbem uni ſoli Monarchæ ſubjectum eſſe; à quo reliqui omnes Principes aut opprimantur, atque è medio tollantur, vel ad minimum, illi tanquam vaſalli ſubjiciantur?

Deinde,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Deinde, an illi omnes, qui orbis Chriſtiani ſalutem atque incrementum ſerio expetunt, in id totis corporis animique viribus incumbere debeant, ut ejuſmodi Monarchia univerſalis introducatur? An vero optandum potius, illum in plures principatus ac reſpublicas, prout hodie videtur, diſpertitum relinqui, ſalvis ſuis præeminentiis & dignitatibus: nec ullus alterum revereri aut reſpicere teneatur, niſi quantum naturalis vicinitatis & amicitiæ ratio poſtulat?

Catholicorum quidem maxima pars ad hoc proclivis eſt, ut tale Imperium univerſale introducatur. Quin etiam ſunt qui dicant, ipſum fundamentum externamque diſciplinam Eccleſiæ hoc expoſcere, ut, quemadmodum in firmamento cœli duo ſolum ſunt luminaria magna: ita etiam duæ poteſtates, Eccleſiaſtica & ſecularis, à duobus ſolis & ſummis capitibus regantur. Hanc autem opinionem non Catholici ſolum fovent, ſed etiam Reformatorum quidam judicant, præſtare, omnia ab uno ſolo domino regi atque gubernari. *Mich. Piccart. Profeſſor Noric. orat. Acad.* 15.

Atque hujus quidem opinionis rationes multi longiſſime deducunt, dicentes, quod, quamvis omnipotens DEUS ab omnibus viſibilibus creaturis totaliter & infini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

infinitis modis diſtet, omnium tamen animis certus quidam character impreſſus ſit, à quo ad imitandum quadantenus creatorem ſuum moveantur & excitentur. Vnde factum à mundi uſque primordio, ut unum regnum aliud ſubigere & ſibi ſubjicere conatum ſit, naturali ſcilicet inſtinctu ad Monarchiam univerſalem, (quæ gubernationi divinæ quam ſimilima eſt) aſpirans. Quod tamen nulli, niſi à DEO ipſo ad hoc prædeſtinato, obtingere quivit. *Tobias Adami, in præfat. Philoſ. inſtaur. à principio.*

Cum itaque ſemper ſimile aliquod Imperium univerſale in mundo repertum ſit (quod nemo, vel mediocriter in hiſtoriis verſatus negare poteſt) quod plus quam humana prudentia erectum & conſervatum reliqua quoq; quamvis potentia regna in ſuam poteſtatem redegit; & tandem ad præfixum terminum & ſummum faſtigium ſuum devolutum rurſus ex improviſo quaſi corruit, atque palam fere & in oculis hominum omnem ſuam poteſtatem omneſque opes, divino, ut ita dicam, impulſu alii populo tradidit: quæ quidem origines & viciſſitudines paſſim in ſacris literis, evidentiſſime vero in propheta Daniele prædictæ fuerunt: quibus monarchiis ſapientiſſimus DEVS quandoque ad caſtigandos ſuos, quandoque

etiam

etiam ad protegendos uſus eſt. Cum vero nihil à DEO ipſo inſtitutum, quod non valde bonum, atque omni mendo careat, omniumque gentium conſenſu & moribus comprobatum ſit, imo ipſi rationi conſentaneum videatur, ut tale aliquod Imperium ſit; illa certe tempora infœliciſſima judicanda ſunt, quæ more divino nullum univerſalem Monarcham aut habuerunt, aut etiamnum habent.

Illis rationibus inducti non pauci arbitrati ſunt, ultimum hoc ſæculum (per pedes ſtatuæ, à Daniele multis ſæculis prævifæ denotatum) eo confuſius, inconſtantius & ultimæ rerum lineæ viciniùs eſſe, quod partes ejus minime cohærent, ſed ut ferrum & lutum diverſæ atque diſcordes agant.

Illud vero hoc in loco præmonendum eſt, Theologos atque Hiſtoricos per Monarchiæ vocabulum non, ut Politicos, intelligere rempublicam aut regionem, in qua omnis poteſtas uni ſoli delata eſt: ſed per Monarchiam ejuſmodi hîc regnum intelligitur, quod vaſtitate, potentia & majeſtate reliqua omnia ſuperat, cuique cætera non reverentiam ſolum atque honorem, ſed etiam tributa atque obedientiam præſtant: ut, quemadmodum Politici per ſtatum Monarchicum denotant illum, quem unus ſolus regit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ita hic intelligatur illud ſolum regnum eſſe Monarchicum, quod ſplendore ſuo alia omnia obſcura reddit, non ſecus atque ſol reliquas ſtellas; quodque propemodum ſolum ſupereſt, & cui cætera parent, aut ad minimum non contradicunt. *Frid. Tileman. Diſc. ſing. de 4. Monarchiis, contra Bodinum, & idem vol. 1. diſp. ad Pand. diſp. 2. theſ. 11. Herm. Kirchnerus, diſp. de Rep. 3. theſ. 6. Henricus Velſtenius dec. 7. theſ. 2.* Ita ut ejuſmodi Monarchia etiam Democratiam admittat, ut mox, cum de Romanis loquemur, indicabitur. Hujuſmodi vero imperia à primordio mundi ad hæc noſtra uſque tempora quatuor tantum numerantur, Aſſyrium ſive Chaldaicum, Perſicum, Macedonicum atque Romanum: idque teſtantur non ſolum moderni Hiſtorici, qui integra Chronica conſcripſerunt, quales ſunt Sleidanus lib. de 4. Monarchiis, Reinerus Reineccius in hiſtoria Iulia, Gabriel de Barlieti, & Chriſtophorus Helvicus in tractatibus de 4. ſummis imperiis, qui extant in Politic. Imperialib. Goldaſti Latin. parte octava, verum etiam Dionyſius Halicarnaſſæus (qui imperante Auguſto Romanam Hiſtoriam idiomate Græco conſcripſit) in primo ſuo libro ſtatim in exordio abunde teſtatur, dum imperia

illa

illa Illuſtriſſimorum nomine indigitat, quæ cætera omnia infinitis modis ſuperarunt.

Aſſyriorum, ſive Babyloniorum, ſive Chaldæorum illa, propter ſummam ſuam antiquitatem parum nobis nota eſt; ideoque etiam parvi à quibuſdam æſtimatur, qui illius poteſtatem neque magnam neque late extenſam fuiſſe credunt. Tamen ſi Prophetam Danielem penitius introſpexerimus, atque conſideraverimus, quod ille ipſe regnum hoc per aureum caput viſæ à ſe ſtatuæ denotare voluit, confiteri cogemur, illud ſicut tempore, ita etiam dignitate poſterioribus omnibus anteferendum fuiſſe; tantoque magis, quod conſtat, omnes artes ſcientiaſque humanas à Chaldæis fuiſſe inventas, & apud illos ſolos tum temporis domicilium quaſi conſtituiſſe; atque inde per continuam doctorum hominum ſeriem, ad nos tranſmiſſum eſſe, quicquid eximii eſt, ſola SS. ſcriptura ejuſque divina explicatione excepta: cæteras vero ſcientias quas aliunde habemus, reſpectu illarum mera deliria atque inſomnia eſſe. Daniel Nabuchodonoſerum regem vocat omnium regum, cap. 2. v. 37. cui Deus cœli & terræ imperium, potentiam, roburque & honorem elargitus eſt apud omnes qui uſquam habitant: quin

etiam pecora campi omnia, cum volatilibus cœli in manus tuas tradidit. atque c.5. v.18. idem de eo aſſeritur.

Et hæc quidem potentia divinitus illi donata, formidabilem illum atque venerandum omnibus terræ incolis reddidit, ita ut pro ſuo libitu evexerit, depreſſerit, afflixerit aut etiam occiderit quoſcunque libuit: qui tamen poſtquam ſuſtulit animos ſuperbus inſolenſque factus omni honore cum ipſo regno exutus eſt, hominumque conſortium inſanus vitans, inter feras beſtias degere, gramine veſci, atq; ſub dio agere cœpit, donec agnovit faſſuſque eſt, DEVM eſſe qui Imperia humana ſub arbitrio hominibus diſpertit. Vel ſolum hoc exemplum arguit, Monarchias non fortuito, multo minus aſtu diaboli (ſicut olim Manichæi, & nunc quoque multi fanatici ſomniarunt) ſed à Deo ipſo inſtitutas eſſe, & vero ſimile eſt, Monarcham modo dictum hac caſtigatione ad cognitionem divinæ veritatis adductum fuiſſe.

Ad hæc, monarchiæ hujus majeſtas & potentia plus quam ſatis demonſtrat id ſolum, quod de metropoli illius Babylone antiqui Hiſtorici tradunt, quæ omnia à Barnaba Briſſonio, lib. 1. de regio Perſarum principatu, & à Iulio Cæſare Bulengero Eclog. ad Arnob. l. 2. cap. 3. in unum

unum faſciculum collecta leguntur. Diodorus Siculus tradit, reginam Semiramidem ad ædificationem hujus urbis vigeſies centena millia hominum coëgiſſe: Ioſephus tamen tradit, hujus operam neutiquam comparandam fuiſſe cum illa, quam Nabuchodonoſor in amplificatione & illuſtratione ejuſdem urbis exhibuit. Et revera, amplitudo illius & multitudo ædificiorum tanta fuit, ut non unius ſolius urbis, ſed integræ regionis nomen mereretur. Vnde Ariſtoteles l. 3. c. 2. polit. affirmat, urbe hac ab hoſtibus certo tempore capta, diverſas fuiſſe regiones intra mœnia, ad quas fama occupatæ urbis tertio demum die pervolaverit. Quod ſi urbis hujus vaſtitatē & præſtantiam ex fide dignis autoribus deſcribere jam vellem, fide omni majora aggrederer. At nihilominus, potentes luce clarius hinc perſpicere poſſunt, Deum mirabili & incredibili modo aliquid in immenſum extollere, & rurſus ſolo affligere poſſe. Ieremias propheta cap. 50. urbi huic tam excellenti, &, ut tum temporis videbatur, omni adverſæ fortunæ majori, interminatus eſt deſolationem & excidium divinitus illi imminens, & quidem tantum, ut omnes Babyloniam hanc prætervecti, ſumma cum admiratione ex ſibilaturi illam ſint; Explodite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Babyloniam, inquit Propheta, quotquot circa illam habitatis, dedat ſe neceſſe eſt, fundamenta illius labefactata, mœnia illius collapſa ſunt: hæcque vindicta eſt Domini. Vindictam in illam exercete, par pari referte. Hem! ſiccine malleus totius mundi fractus & ruptus eſt? ſiccine Babylonia in deſertum gentilium converſa eſt? laqueum tibi poſui Babylonia, inquit Dominus, quo tu ex improviſo capta es; habes, capta es, quia Dominum irritaſti: habitatio fiet ferarum, volucrum, & pullorum Struthionum, jacebitque deſerta atq, inculta in omne ævum.

Hoc, ut videmus, exactiſſime perfectum eſt omne: atteſtanturque *Benjamin Tudelenſis*, natione Iudæus, qui quadringentis ab hinc annis orbem fere totum circuivit, nec non *Leonhardus Rauvvolf*, & *Iohannes Cotovicus*, qui noſtra memoria præſens illum ipſum locum antiquiſſimæ hujus Babylonis inſpexit, ne veſtigium quidem urbis ibidem amplius apparere, omneque circumcirca ſolum aridum & ita deſertum jacere, ut mirari alicui & dubitare ſubire queat, an unquam regio illa habitata fuerit, niſi reliquiæ vetuſtiſſimæ & præclariſſimæ illud oſtenderent, qualis eſt, pons ille vetus, (cujus adhuc aliquot fruſta & fornices extant) quo Euphrates tum temporis

fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

fuit junctus, extructus lapidibus coctis, tanta firmitudine, & longitudine ut in admirationem rapiat intuentes: eſt enim fluvius ille non ſolum profundus, ſed etiam ad dimidium milliare dilatatus: Item arx, vel arcis rudera in colle prominente undique patentis campi ſita, à qua non procul famoſa illa turris Babylonica ædificata fuit, quæ olim dimidiatum milliare in circuitu ſuo complexa, hodie tamen tota collapſa reptilibus tantum habitatur. Adeo, ut Ludovicus Guyon tom. 2. diverſ. Lect. Gallic. lib. 1. cap. 19. tota erret via, aſſeverans, contra authoritatem Prophetæ, & fidem reliquiarum, antiquiſſimam illam Babyloniam hoc noſtro etiamnum tempore inhabitari.

Poſtquam monarchia hæc exſpiravit, DEVS omnipotens Medicam & Perſicam ſuſcitavit, & quidem, ut videtur, in hunc præcipue finem, ut prima illa opprimeretur Eſa. 13. Vnde capite 45. idem Eſaias de Cyro authore ſecundæ Monarchiæ vaticinatus eſt in hunc modum: Apprehendit DEVS unctum ſuum Cyrum dextra, ut Ethnicos ſibi ſubjiciat, regeſque exarmet, ut fores ipſi pateant, nec portæ ullæ illi objiciantur: huic, inquit Dominus, præibo, omneſque colles terræ æquabo, portas æneas conteram, poſteſque ferreos confringam; huic theſauros abſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

conditos, & monilia abſtruſa tradam, ut cognoſcat, Deum Iſraēlis ipſum nominatim vocaſſe, idque propter Iacobum ſervum, & Iſraëlem electum ſuum. Enimvero, inquit DEVS, vocavi te nomine tuo, compellavique te, quo tempore me nondum noviſti. Excitavi eum in juſtitia, & omnes vias illius complanabo, ædificet, faxo, urbem meam, captivoſque meos liberabit, mercatores Ægyptii, negotiatores Maurorum & procerorum Sebanorum ſeipſos tibi permittent, ſubjectique tibi te ſequentur compedibus & manicis vincti, ad pedes tuos procident plorãtes; quoniam DEVM à latere tuo habes. Quæ omnia Cyrus & agnovit, & amplexus eſt, atque per univerſum ſuum regnum verbis & ſcriptis proclamari curavit, 1 Eſr. cap. 1. v. 2. in hunc modum: Sic dicit Cores rex Perſarum, DEVS cœli omnia regna in manus meas tradidit, mãdavitq; mihi, ædem illi ædificare in Hieroſolyma Iudææ. Haud omiſerim hoc in loco, quod Garcias Silva Figveroa, ante triennium Hiſpaniæ ad Perſas legatus, in quadam ſua Latina epiſtola Antverpiæ impreſſa affirmat, hodie quidem in regno Perſiæ nihil reſtare tam præclarum, quod vel cum minimi momenti rebus Europæ comparari queat: rudera tamen arcis regiæ in Perſepoli, metropoli olim

Perſa-

Perſarum ſatis oſtendere, ædificium illud præſtantius fuiſſe quam ut verbis exprimi queat, omnemque omnium regiorum monumentorum excellentiam longe ſuperaſſe. Reperiuntur ibidem, inquit, muri integri ex marmore & jaſpide facti, columnæ ſtupendæ magnitudinis, in quibus omnis generis figuræ artificioſiſſimæ inciſæ viſuntur, & quidem lapide adeo duro atque ſplendenti, ac ſi recens cæſæ fuiſſent. Poſtquam & Perſica Monarchia curriculum & opus, ad quod DEVS illam deſtinaverat perfecit, atque ſimul peccatorum ſuorum cumulum complevit, fortuna ſimul & vires hanc quoque deſtituerunt, adeoque Græcis impar facta eſt, ut vel Athenæ ſolæ ad ejuſmodi Monarchiam anhelaverint, ad eamque obtinendam, claſſe validiſſima Siciliam adortæ ſint, qua devicta Italiam quoque, Carthaginem & Hiſpaniam facile ſe ſuperaturos ſperarunt, pluraque ficulnea conſilia ſibi fabricati ſunt (de quibus Alcibiades proſcriptus prolixa oratione apud Lacedæmonios diſſeruit, ut Thucyd. libro 6. refert) quæ omnia ad nihilum reciderunt. Aliter enim DEVS jam pridem antea conſtituerat, atque per Prophetam ſuum Danielem prædixerat, fore, ut Græcus quidem, ſed non Athenis ortus tertiam Monarchiam condat, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cujus regno idem Daniel c.2.v.39. prædixit, quod omnia reliqua ſuperaturum ſit, idque poſt in 8. capite multo clarius manifeſtat, cum inquit, Hircum illum, quem ait ſe vidiſſe arietem Perſicum conculcare, prænotare regem Græciæ, atque cornu ingens inter duos illius oculos eſſe primum illius regni regem: quod vero quatuor alia in primi illius confracti locum ſuccreverint, nihil aliud eſſe, quam quod quatuor diverſa regna in populo illo oritura ſint, non tamen tam præſtantia, quam primum illud fuit, quæ omnia ſuo tempore examuſſim accompleta fuerunt. Quippe Alexander Magnus incredibili celeritate & fœlicitate, non ſolum Perſas effœminatos jam, ſed & multas alias provincias, longe remotas nullo negotio ſuperavit, atque univerſam Græciam in ſuam poteſtatem redegit; quam primum vero ab exceſſu ejus unio diremptа atque in diverſas partes itum eſt, regnumque unicum antea, in quatuor diſtincta mox diremptum fuit, Monarchia illa pariter ad occaſum vergere incepit: præſertim, poſtquam duo potentiſſimi populi, Romani nimirum & Carthaginenſes, de univerſi orbis terrarum imperio diu & ambigue dimicarunt, ut ex Tito Livio liquet atq; ex Silio Italico, apud quem in principio de bello Punico hi leguntur verſus. *Gens*

Gens Cadmæa ſuper regno certamina movit,
Quæſitumque diu, qua tandem poneret arce
Terrarum fortuna caput.

Subactis ergo & funditus everſis Carthaginienſibus, Antiochoque cum reliquis Alexandri Magni ſucceſſoribus profligato, Romani ſe ipſos etiam ante Iulii Cæſaris tempora rerum dominos vocarunt, *Liv. dec.* 4. *lib.* 6. nam, ut Petronius ait,

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

Adeo ut multæ barbaræ nationes, Romanis non ſubjectæ, reges ſibi ex arbitrio Senatus populique Romani elegerint. nam Appianus de Armenia majori idem tradit, quod Tacitus libro 4. Annal. de Parthis, & libro 11. Annal. de Cheruſcis: quibus addi poteſt Thomas Stapletonus l. 2. de Magn. Rom. Eccl. cap. 1. à principio. Vnde Suetonius cap. 48. de Auguſto ſcribit, Illum reges ſocios, non aliter univerſos, quam membra parteſque Imperii curæ habuiſſe.

Cæterum Monarchia iſta ſub imperio Trajani potentiſſima fuit, occupans ex trecentis illis gradibus in quos orbis terrarum ab Aſtronomis & Coſmographis deſcribitur, nonaginta in longitudinem, in lati-

in latitudinẽ vero quadraginta quinque.

Quod vero etiam Romana hæc Monarchia ex providentia & voluntate divina exordium & incrementa ſumpſerit, atque tandem ad id majeſtatis pervenerit, non ſolum Chriſtiani, ſed ipſi etiam Gentiles agnoverunt, ut docet Bernardus Aldretes Canonicus Cordubenſis lib. 1. des varias antiquetades. cap. 2. ſcilicet ut regna diremta rurſus coëant, ut omnes efferati circurentur, atque contentiones ex diviſione illa ortæ rurſus componantur. Plinius libro ſuo 3. cap. 5. de hoc ſæpe jam nominato imperio repoſuit iſtud: Omnium terrarum alumna eadem & parens, numine Deum electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.

Hoc vero ſolo monarchia hæc ſe ſupra omnes alias afferre poteſt, quod unigenitus Dei Filius ſub illa non ſolum naſci, ſed etiam inter Romanum populum cenſeri dignatus eſt. Hocque præcipue ab Oroſio lib 6. c. ult. & lib. 7. c. 1. animadverſum eſt, dum ſcripſit: Tunc igitur natus eſt Chriſtus, Romano cenſui

ſtatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſtatim adſcriptus ut natus eſt. Hæc eſt prima illa clariſſimaque profeſſio, quæ Cæſarem, omnium principem, Romanoſque rerum dominos, ſingillatim cunctorum hominum edita aſcriptione ſignavit, in qua ſe, & ipſe, qui cunctos homines fecit, inveniri hominem, adſcribique inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum ne Babylonio quidem, nec Macedonico, ut non dicam minori cuiquam regno conceſſum fuit. Nec dubium, quin omnium cognitioni, fidei, inſpectionique pateat, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus hanc urbem nutu ſuo auctam, defenſamque in hunc rerum apicem provexerit, cujus potiſſimum voluit eſſe cum venit, dicendus utique civis Romanus cenſuſque profeſſione Romanus.

Priſci quoque Eccleſiaſtici ſcriptores unanimiter affirmant, interfuiſſe fidei Chriſtianæ, propagationiſque verbi divini, hanc monarchiam longe lateque diffuſam eſſe. Sic enim beatus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in Epiſtola paræneтica ad Valerianum de contemptu mundi fol.m.28. ſcribit: Nationes & regna putaſne ob aliud in ditionem ac jus ceſſiſſe Romanum, & ob aliud magnam partem generis humani in unum tranſiſſe po-

ſe populum, niſi ut facilius, tanquam medicamentum per corpus unum, ita per unam gentem fides infuſa penetraret: & ut capiti ingeſta, velociter ſe per membra diffunderet? Alioqui non ita cucurriſſet, inter crebras & diſcrepantes ritibus linguiſque gentes, nec tam longe per novorum ſemper graduum objecta tranſiiſſet. Atque cum hac conſentit etiam antiquiſſimus poëta Chriſtianus Aurelius Prudentius lib. 2. contra Symmachum, his verſibus:

Vis dicam, quæ cauſa tuos Romane labores,
In tantum extulerit? Queis gloria fortibus aucta
Sic cluat, impoſitis ut mundum frænet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare DEVS, *ſubjungier uni*
Imperio quicquid tractabile moribus eſſet,
Concordique jugo retinacula mollia ferre,
Conſtituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Relligionis amor: nec enim ſit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens unica gentes.

Qui-

Quibus oſtendere voluit, DEVM per propagationem Imperii Romani, Euangelio ſuo viam quaſi ſternere voluiſſe, reducendo gentes moribus, legibus & linguis diverſas in unam veluti formam atque efferatos hominum animos demulcendo, atque mutuo amore ſibi invicem devinciendo: vixque fieri potuiſſe, ut religio Chriſtiana diffunderetur, niſi populis per animorum conjunctionem in politia quoque copulatis: quod & D. Leo videtur perſpexiſſe, Serm. 1. in Natal. Apoſtolorum Petri & Pauli, ita inquiens: *Vt autem hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia præparavit: Cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum undique gentium vicina & contigua eſſet univerſitas. Diſpoſitio namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur Imperio, & cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.*

Riſerit forſan hîc aliquis, & abſurdum duxerit propagationem nominis divini opus habuiſſe auxilio politico: qui ſi temporis illius hiſtorias penitus introſpexerit, atque omnes circumſtantias & eventus rerum diligenter in animo ſuo perpende-

penderit, quibus res Romana tam mirabiliter atque contra omnium ſpem aucta eſt, fateri cogetur, Deum longe aliud quid, & illud ipſum quod allegati ſcriptores innuerunt, propoſitum ſibi habuiſſe.

Inprimis vero hiſtoria Eccleſiaſtica (qui liber à Sacroſanctis Bibliis facile ſecundum locum obtinet) de pietate quorundam Imperatorum erga Eccleſiam, puta Conſtantini Magni, Theodoſii, Iuſtiniani & aliorum teſtatur, ut facile appareat, etiam in his primo, & vero in ſequentibus Francis & priſcis Germanis Imperatoribus completum fuiſſe, quod Deus pridem per Eſaiam prophetam capite 49. verſu vigeſimo ſecundo promiſit, hiſce verbis: Ecce, manum meam verſus gentiles tollam, vexillumq; meum verſus populos, adferentque filios tuos in ulnis, filiaſque tuas in humeris, regeſque tutores tui erunt, & principes nutrices tui, procident ad genua tua in faciem, lingentque pulverem pedum tuorum: atque tum reipſa experieris, me eſſe Dominum, in quo nemo confundetur, confidens in eum &c. Et capite ſexageſimo inquit: Gentiles ambulabunt in luce tua, & reges in ſplendore oriente ſupra te: peregrini exſtruent muros tuos, & reges illorum tibi ſervient: è gentilibus lac ſuges, & reges illorum tibi mammas dabunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

bunt. Hæ & ſimiles prophetiæ, paſſim per vetus Teſtamentum ſparſæ arguunt, ſub novo quoque Teſtamento datum iri potentes reges, in locum Ethnicorum, qui Eccleſiam protecturi & aucturi ſint. Et quamvis moderni Germaniæ Imperatores antiquis illis Romanis potentia & dignitate longe inferiores ſint: multum tamen adjumenti tulerunt ad propagationem fidei Chriſtianæ; quippe quorum armis Sclavonicæ ſeu Vandalicæ provinciæ, Pomerania videlicet, ager Megalopolitanus, Livonià, Boruſſia cum parte Miſniæ, tractus item Brandeburgicus & Magdeburgenſis aliique finitimi loci, primum armis victi, deinde piorum Epiſcoporum aliorumque ſanctorum virorum induſtria ad religionem Chriſtianam converſi ſunt. *Crantzius in ſua VVandalia paſſim.* Verbis exprimi nequit, quantum mundus floruerit, quoties bonos Imperatores nactus eſt, quorum proviſu pax paſſim introducta, & bella inter minores Duces flagrantia ſedata aut profligata fuerunt. Vnde Strabo de Romanis & Barbaris illorum vicinis, mutuis odiis & certaminibus inter ſe conflagrantibus, eleganter ſcripſit: Suis ſimultatibus ſunt permiſſi, donec malorum pertæſi, in gratiam ipſi rediêre, &c.

Auguſtus Cæſar, aliique Romani illo-

antiquiores, intimare volentes univerſum Imperium Romanum in pace & tranquillitate agere, templum Iani clauſerunt, *Cardin. Baron. in Annal. Anno Chr.* 1. quæ pax uſque in ſequentium Imperatorum tempora duravit, atque, ut Tacitus ait, Immota pax, aut certe modice laceſſita. Atque beneficio talis Monarchiæ contigit, ut omnes Imperio Rom. ſubjecti jure & privilegiis civium Romanorum gauderent, atq; viciſſim illis unis iiſdemque legibus recti, atque tuto ultro citroque commeantes urbem Romam pro communi patria agnoverunt. Vnde Claudianus adulatorio & poëtico more, quod Imperio Romano ſoli tribuendum erat, Stiliconi aſcripſit his verſibus:

Hujus pacificis debemus moribus omnes
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes,
Quod ſedem mutare licet, quod cernere Thulen,
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus:
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem.
Quod cuncti gens una ſumus, &c.

Experientia frequens teſtatur, quanta confuſio non ſolum Italiam atque Germaniam, verum etiam alias regiones invaſerit, poſtquam unaquæque illarum com-

commune jugum excutere atque ſui juris eſſe voluit: atque illæ etiam quæ in obſequio Imperatoris perſtantes privilegiis lautiſſimis ornatæ ſunt, ut ſingularia per ſe regna eſſe videantur. Neque hîc in diſquiſitionem vocabo, annon illi qui Imperio Romano ſemet ſubduxerunt in pejus vinculum inciderint, tritum illud Gallicum rem ſatis declarat, *N'eſtans plus ſoubs l'Empire, ſe ſont empirez*: ac ſi quis dicat, è flamma in ignem tranſilierunt.

Quod autem attinet ad illos, qui etiam nunc majeſtatem Imperii Romani venerantur, atque nominetenus illi ſe obnoxios profitentur, illi rem eo perduxerunt privilegiis, exemptionibus atque aliis ſuis titulis recens excuſis, (in quorum invidiam catus aliquis non injuria ſummo ſuo magiſtratui præcavens, ita ſcripſit, Non obſtantibus omnibus magiſtratibus, ſummis, imis, ſuperis, inferis, jam natis aut poſt naſcituris,) ut quilibet etiam mediocris ſtatus jam omnia pro ſuo arbitrio agere, & ea conari audeat, quæ olim Monarcha vix auſus fuiſſet. Hoc non aliunde fit, quam quia reverentia erga magiſtratus abjecta eſt, & remedia omnia ſummorum magiſtratuum auxilia per ſupplicationes atque appellationes impetrandi adempta, aut ad minimum difficillima effecta ſunt. Vnde

etiam oriuntur quotidie bella & interneciones, ſanguiſque humanus inſtar aquæ immundæ profunditur: unde fides & charitas undiquaque exulant, atque odia ac diſcordiæ regnant. Hic contemptus monarchiæ Germaniam omnium reliquarum nationum riſui atque contemptui expoſuit, ſoluſque in cauſſa fuit, quod infenſus Chriſtiani nominis hoſtis ad hunc uſque diem vinci non potuit: imo etiam verendum eſt ne per has diſſolutiones in penitiſſimam Germaniam irrepens medullam illius & ſanguinem omnem exſugat.

Et ut illud ſolum ſcelus exempli loco hîc allegemus, quod hodie cum luctu & gemitu omnium bonorum, circa monetas excudendas committitur, dum pauci quidem contra jus naturale, charitatem Chriſtianam, atque contra conſuetudinem omnium gentium, denique contra expreſſiſſimas conſtitutiones Imperatorias atque receſſus Imperii, ſub prætextu perniтioſiſſimi privilegii monetam cudendi, acervos nummorum adulterinorum procuderunt; quo faciendo ipſi divites effecti, argentum noſtrum in detrimenta & ſpumam converſum eſt, quod ipſum propheta Eſaias cap. 1. v. 22. ceu ſingularem pœnam minaciter prædixit: quo & omnia commercia labefa-

ctata

ſtata atque confuſa ſunt, innumeræ artes oppreſſæ jacent, graſſandique latiſſima porta fœnatoribus, uſurariis atque aliis hujus farinæ hominibus patefacta eſt, ita ut exteris nationibus omnis fere cum Germanis negotiandi occaſio interempta ſit, ut illi quorum reditus aut ſalaria in pecunia numerata conſiſtit, ad inopiam redigantur, atque ut rerum pretia ad id faſtigii aſcenderint, ut ſequioris ſortis homines ad ſuſtentandam vitam vel ſumme neceſſaria ſibi comparando haud ſint, ſed ægram animam inter continuas miſerias exſpirent. Huic tamen malo jus Canonicum quod à ſciolis quibuſdam naſo ſuſpenditur, remedium præſentiſſimum affert, dum dicit, Peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum, ita ut non ſufficiat ad ſalutem, in agone dicere: Miſerere mei Deus: neque hoc ſinceræ pœnitentiæ indicium eſt, niſi quis etiam bona per fas nefaſque erepta prioribus dominis reſtituat, aut ad pios uſus leget, ſed ad hæredes ſuos tranſmittat, ut habeant unde ſuperbiant, atque ſtatum ſuum adornent.

Verum, cum dicta hæc jam obſoleta, magni quidem facienda, & inſtar antiquiſſimorum nummorum habenda ſunt, qui ad hoc reponuntur, ut raritatis cauſſa oſtendantur, non etiam ut in vulgum

ſpargantur:ideo optandum eſt, ut vi quadam externa malo huic, & damnis inde naſcituris occurratur, quod tamen in hac Cyclopica vivendi ratione minime ſperare licet, imo etiam verendum, ne, (quod clementiſſimus Deus averruncet) hoc in majus erumpat malum, quam vel ullus hoſtis inferre, vel aliter quam ruina Germaniæ diſcordis reſtingui poſſit.

Maximæ Monarchiæ minoribus imperiis in hoc etiam præferendæ ſunt; quod ſub magno rege vivere maxima ſit libertas: & hiſtoriæ ipſæ teſtantur, Germaniam nunquam tam floruiſſe, quam cum Romani Imperatoris ſceptrum maxime venerata eſt; cum contra minores regiones, ſuo arbitrio, & abſque externo metu aſtute agentes non raro exorbitent. Et cum ſummorum quorundam Politicorum opinio hæc fuerit, Turcam hactenus invictum manſiſſe, non quod potentia ipſius tanta, ſed quod orbis Chriſtianus uno capite non regitur, à cujus nutu omnes dependeant; tum quod fœdera plurium contra unum ſolum inita raro proſperum eventum ſortiantur: hujuſque rei veritas in omnibus Italorum contra Turcas expeditionibus emicuit, atque à Renato de Luſinga in Tract. de increm. Imperior. ad oculum demonſtratum eſt. Hinc magnates quidem occaſionem ar-

ripue-

ripuerunt, Monarchiam ſimilem condendi, ſub prætextu eundi in Turciam, è quorum numero præcipuus fuit Carolus ultimus Burgundiorum dux, qui Belgium nobile quietus poſſedit, aliquotque Galliæ provincias ſibi ſubjecit, ac tandem in Germaniam ingreſſus, Helvetiam cum Alſatia & Lotharingia ſe facile occupaturum ſibi imaginatus eſt, & Sabaudiæ jam inhians principatus ſui limites ab uno mari ad aliud extendere, atque his etiam majora ſibi propoſuerat. Pari ferocia Carolus VIII. rex Galliarum, ſperavit, ut Cominæus teſtatur, ſe poſt victum regnum Neapolitanum Galliæ & Italiæ libere imperaturum, imo etiam gloriatus eſt, ſe reliquos Chriſtianos in Græcia degentes à tyrannide Turcica liberaturum. Vtriuſque tamen conſilia (procul dubio ex ambitione magis quam pietatis zelo orta) eventum plane contrarium ſortita ſunt.

Sunt qui exiſtimant, poteſtatem Papæ etiam huc politice collimare, ut Chriſtianis regibus & principibus frænum injiciatur: atque etiamſi nemo illorum imperium in alterum haberet, vel nullo fœderis jure ſibi invicem obligati eſſent; tamen vel ſolo communis religionis vinculo coërceri, atque à moderatore totius Eccleſiæ, à conſcientia propria, quæ mille

 teſtes,

teſtes, & denique metu horribilis excommunicationis ab injuſta effuſione ſanguinis Chriſtiani reprimi debent, atque concordiam colere, ſique neceſſitas flagitet conjunctis viribus Chriſtiani nominis hoſtes debellare. Multi etiam miſerandum caſum regni Græci magna ex parte Orientali Eccleſiæ imputandum cenſent, quæ ab Occidentali ſeu Romana ſeceſſionem fecit: hoc enim pacto Oriens ab Occaſu diviſus, uterque utrique diffidere cœpit, atque ſic concordiæ illud vinculum abruptum, & Imperium Orientale auxilio denudatum fuit. Neque etiam Eccleſia illa Græca unquam ſummum aliquod caput habuit, quod principes Græciæ ad mutuam concordiam coëgiſſet, illoſque à Turcis & Saracenis in auxilium advocandis cohibuiſſet. Reliqui vero Romanæ ſedi addicti (vel mutua invidia atque præeminentia diſcordes, vel, culpa quorundam, poteſtate divinitus illis data abutentium,) modo dictam expeditionem neque ipſi ſuſcipere, neque ſi ſuſcepiſſent, tantum præſtare potuiſſent, quantum univerſalis Monarchia præſtaret. Hinc omnes ferme Iuriſconſulti (qui quidem hac in parte non omnino inſulſi politici fuere, & forte arcanum aliquod ſtatus reſpexêre) pro regula certa & infallibili habuerunt, Quod impe-

imperator Romanus ſit, vel de jure debeat eſſe Dominus totius mundi. *Guerin. Piſo Soacius, de Roman. & Venetor. Magiſtrat. Comparat. n.* 16. *Marta, tract. de Iuriſd. p.* 1. *cap.* 27. *Lancell. Conrad. in Templ. omni Iudic. lib* 1. *cap.* 1. §. 1. *fol.* 38. ac, ut Iohan. Igneus alicubi ait, tota Canoniſtarum & Legiſtarum Schola in Italia cenſuit, Imperatorem eſſe dominum totius mundi, addatur Azorius *lib.* 10. *cap.* 2. *q.* 4. §. 2. imo celeberrimus Bartolus *ad l. hoſtes. num.* 7. *ff. de capt. & poſtl. rev.* notat, illos pro hæreticis & erroneis habendos eſſe, qui negant Imperatorem dominum eſſe totius mundi. Et quidem ſi vel Germania, vel Italia ſola concors eſſet (quod niſi ſub uno capite vix fieri poteſt) Monarchiæ univerſalis nomen mereretur, atque toti reliquo orbi metum incuteret. Conſtat ſiquidem, quot populos Romani ſoli armis vicerint: De Germania vero omnes, qui ſtatum illius, præcipue vero hodiernum norunt, affirmabunt ſcio, quod ſi illa ab uno Principe, & ſub una fide, quouſque linguæ Teutonicæ idioma protenditur, atque hodie in uſu eſt, regeretur, non ſolum ab omni externo metu libera eſſet, ſed brevi tempore Monarchiam ipſa per ſe inſtituere poſſet. Itali enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſoli affirmant, ſibi plus timendum fore à Germania ſi uniretur, quam ab ipſo Turca. *Henning. Arniſ. relection. politic. lib. 2. cap. 2. Sect. 7. n. 18. &c. fol. 234.* At jam, cum Germani, ut Turcarum aliquis Imperator dixit, gregi canum diverſigenorum recte comparentur, quorum quiſque ſibi ſingularem tramitem eligit, haud magnum metum extraneis incutiunt, quin potius ipſa ſibi ab illis metuendum habet. Ipſorumque Germanorum non pauci verentur, ne, quemadmodum olim Romanum imperium à Gallis ad Germanos tranſlatum eſt: ita viciſſim ab illa diſcordante ad aliam nationem tranſmittatur. Et certum eſt, ſucceſſores Caroli Magni nulla alia de cauſſa potentiam & majeſtatem ſuam amiſiſſe, quam quia regnum illius inter fratres diviſum fuit, quorum nullus alteri jure ſuo cedere aut obtemperare voluit, ſed bello inteſtino moto, ſe mutuo proſtraverunt. Quod ſi jus Appanagii, ait Iohan. Tillius lib. 2. de rebus Gallicis, & forma aſſignationum, quæ hodie uſitata eſt in Gallia, obſervata fuiſſet à tempore Caroli Magni, Francorum imperium ſuffeciſſet debellando orbi. Ideo & ne hoc unquam contingat, Germani ingenui unice optant, ut concordia in communi noſtra patria revocetur, una ſcilicet

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cum priſca illa virtute, fide, pietate, & integritate, ſine quibus omnis unio flaccida & futilis eſt.

Germanis plene redeat concordia, virtus,
Cumque Fide Pietas, altâ cervice vagetur!

Non deſunt tamen, qui de hoc propemodum deſperent, actumque eſſe de Germania dicant; fieri tamen poſſe credant, ut mundo à Monarchia Hiſpanica medicina afferatur, per eamque Turcæ exſtirpentur, & fides Chriſtiana (quod, ſecundum Redemptoris noſtri vaticinium ante rerum conſummationem neceſſarium eſt fieri) per univerſum orbem terrarum diſpergatur. Adducuntque hujus conjecturæ ſuæ rationem, quod per occupationem utriuſque Indiæ huic operi jam fundamenta jacta ſint, & hæ tam vaſtæ regiones nemini ante hunc diem notæ à Deo ipſo omnipotente Caſtilianis & Luſitanis in manus quaſi traditæ ſunt, atque duæ hæ nationes antea perpetuo ſibi invicem infenſæ improviſo unius hominis obitu, uni capiti ſubjectæ eſſe cœperunt.

SICUT autem argumenta pro univerſali Monarchia hactenus adducta haudquaquam parvi ponderis ſunt; ita è contrario

trario infiniti reperiuntur, qui genus hoc regiminis oderunt & deteſtantur, atque rationibus non minus validis oppugnant. Et quemadmodum vix ulla gens reperitur ſub ſole, quæ, ſi ejuſmodi prærogativam atque præeminentiam ſibi legitima via obviam habeat, eam non libenter acceptet: ita è contrario quamprimum regnum aliquod ſolum emergere atque ad hoc dignitatis faſtigium anhelare incipit, omnes reliqui principatus illi confeſtim obſtrepunt, atque quantum poſſunt, obſtant.

Atque hæc opinio illo inprimis fundamento nititur, quod natura, vel potius DEUS ipſe, unicuique populo limites ſuos præfinivit, quos nefas eſt tranſilire. Siquidem, ut legere eſt Exod. c. 23. v. 31. filiis Iſraël regio Amoritarum, Cananæorum reliquorumque affinium populorum in manus quaſi tradita eſt, cum hac tamen cautela, ut his finibus contenti ſint, nimirum à mari algoſo, à mari Philiſtæorum, & deſerto ad flumen iſtud Euphratis. Quodque omnes aut plures ſaltem populi non unius dominio ſubjecti, ſed diverſi eſſe debeant, veriſimiliter inde apparet, quod illi non ſolum montibus, vallibus, fluminibus, ſilvis & mari, humido & arido; ſed etiam linguis diverſiſſime atq; longiſſime à ſe invicem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quaſi diſtincti ac dirempti ſunt, imo etiam mores, geſtus, & cogitationes diverſas habent: quibus omnibus natura videtur aperte intimare voluiſſe, dominia etiam debere eſſe diſtincta. Abſurdum quippe & incongruum videtur, gentes natura diverſas unitate Imperii ad ſimilitudinem morum & naturarum compellere, aut ut una gens alteram ſibi adverſiſſimam regat. Imo Cabaliſtæ aſſeverant, regiones diverſas diverſos quoque habere angelos ſibi præſidentes, atque horſum allegant id, cujus Moiſes in cantione ſua (quæ, ſecundum Græcam verſionem, & Originem in Philocalia cap. 21. extat Deuteron. cap. 32.) mentionem facit. Cum ſupremus populos divideret, cum filios Adami per univerſum mundum diſpergeret, tum poſuit limites populis, ſecundum numerum Angelorum DEI. Sibi vero reſervavit filios ex Iacobo prognatos: Iſraël eſt dimenſum, ac portio hæreditatis ſuæ. Iidem ex 10. cap. Danielis evincere conantur, eoſdem angelos pro ſalute & incolumitate populi quiſque ſui inter ſe dimicare: nam ibidem quidam angelorum dicit Danieli: Principem regni Perſici ſibi viginti unum dies reſtitiſſe, verum Michaëlem archangelum ſibi ſuppetias tuliſſe, ut victoriam contra Perſarum reges obtinuerit.

Poſtea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Poſteaque idem ſubjungit, ſe abire nunc pugnatum contra Principem Perſarum, ſibique principem Græciæ adverſum proceſſurum, neque eſſe, qui ſibi auxilium contra illum ferat, præter Michaëlem.

Atque cum hoc videntur etiam conſentire Scholaſtici, quantum ex Thoma Aquinate in ſumma Theologiæ. p. 1. q. 113. art. 8. colligitur, ubi probat, judicium Dei regna eorumque ſubditos concernens Angelos executores habere, qui limites illius judicii examuſſim obſervant, ita ut, dum quiſque quod ſibi mandatum eſt executioni mandat, videantur inter ſe pugnare. Tum etiam illud univerſalibus Monarchiis objicitur, hoc naturali juri aſſcribendum eſſe, quod aut cum hominibus natum, aut ſtatim poſt creationem univerſalem introductum. Iam vero etiam ſacra Scriptura teſtatur, à primordio unamquamque gentem, imo unamquamque urbem proprium ſuum regem habuiſſe, idque ex 14. cap. libri 1. Moiſis evidenter patet. Sic Ioſua uno prælio unum & triginta reges, omnes Palæſtinos devicit, Ioſuæ.cap.12. Contra Nimrod longo poſt diluvium tempore cœpit vi imperium in alios ſibi arripere, qui ideo in Sacris literis parum laudatur: dicitur enim c. 10. v. 8. & 9. Geneſeos, Chus progeneraſſe Nimrod, qui ad potentiam

tentiam ſupra mortales anhelavit: addi-
turque illum ſtrenuum fuiſſe venatorem
coram Domino. Quin & nomen ipſius
ſatis indigitat, qualis vir ille fuerit, de-
ducitur enim illud ab Hebraico Morad,
quod tantundem ſignificat, quod rebel-
lare, ſuperioriſque ſui mandata negligere.
Siquidem hic Nimrod in poſteros Sem
inſurrexit, quibus imperium regiminis
tam ſpiritualis quam temporalis debi-
tum fuit: ille tamen hoc etiam legiti-
mum imperium excuſſit, innocenteſque
ſicut venator feras poteſtati ſuæ ſubjecit.
Epiphanius etiam cum Philone teſtatur,
Græcos hunc Nimrod pro Zoroaſtro ha-
buiſſe, qui nigromanticam & aſtrolo-
giam invenit, atque hic ipſe eſt, qui Babel
in invidiam DEI extruere aggreſſus eſt:
Babel vero idem ſignificat, quod confu-
ſio. Hujus ergo inſolenti dominatione
& faſtu non ſolum linguæ, ſed quicquid
in orbe terrarum erat, perturbatum fuit.
*Claudius Duret. in hiſtoria linguarum
c.* 4. Fuerunt autem non ſolum poſt
Nimrod, ſed etiam ante diluvium legiti-
mi & clementes Principes: quandoqui-
dem Paraphraſtes Hebræus ad filios ma-
gnatum ſive principum refert, quod Ge-
neſ. 6. v. 2. dicitur, Tum filii DEI in filias
hominum oculos ſuos defixerunt. Sta-
timque poſt, verſu 4. ſubjungitur, Erant
tum

tum temporis gigantes ſuper terram: nam ex concubitu filiorum DEI & filiarum hominum prognati ſunt gigantes, id eſt, viri præclari & præſtantes. Per gigantes autem in ſacris literis ſæpe intelliguntur tyranni: unde S. Auguſtinus Nimrod vocat novorum Gigantum primum autorem; quod ſcilicet tyrannicam illam vitam, propter quam prior mundus diluvio extinctus fuerat, poſt diluvium reduxit. Hujus Nimrod inuſitatas & monſtroſas gubernandi artes diffamat Iuſtinus Hiſtoricus lib. 1. à principio, his verbis: Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes reges fuiſſe: quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provexerit. Fines imperii tueri magis quam proferre ſolitos fuiſſe. Primum omnium Ninum regem Aſſyriorum, veterem, & quaſi avitum gentibus morem, nova imperii cupiditate mutaſſe, &c.

Et quia omnes quatuor Monarchiarum fundatores Nimrod hunc ſecuti, contra naturalem inſtinctum, cæteras nationes nulla juſta de cauſſa, ſed mera ambitione & regnandi cupiditate exſtimulati oppugnarunt, idcirco, quemadmodum quidam tradunt, quatuor illi Monarchiæ à Daniele propheta ſub nomine

nomine ferarum beſtiarum deſcripti fuere, ad ſævitiam & immanitatem illorum denotandam.

Habuerunt tamen infœlicia illa tempora etiam alios probos principes & regna, quæ DEVS protexit, quæque improbos illos modos deteſtati ſunt. Talis fuit apud Philiſtæos Abimelech quod ſignificat, pater meus rex, quod nomen poſteri illius retinuerunt. Et circa idem tempus ſimilis fuit rex in Cananæa, cui nomen Melchiſedech, quod ſignificat, Rex juſtitiæ. Qui ſimileſque horum plures, ſubditos non vi acquiſiverunt, neque more Monarcharum abſolutum Imperium ſibi vendicarunt. Ob quam cauſſam Ariſtoteles l.3.polit.cap.10. regna illa regna heroica appellavit, ab aliiſque regnis diſtinxit.

Ipſe populus Iſraëliticus, cui DEVS ipſe procul dubio optimum vivendi ſtatum revelavit, multos annos ſine rege egit, neque ante aut poſt electitium regnum, externo imperio unquam ſubjectus fuit, niſi quod à via veritatis delirans eindem Monarchis ad caſtigandum traditus fuit. Expreſſe etiam in lege Moiſis Deut. cap.17. verſ.15. mandatum eſt, ut unquam populo Iſraëlitico cupido regis habendi ſubeat, unum ex fratribus ſuis in regem ſibi eligant: neque enim fas

eſt (inquit textus) ut peregrino alicui te permittas. Quod ſatis arguit, unumquemque populum proprium ſuum regem habere debere, atque naturæ ipſi adverſari, ut gens aliqua extraneo obediat. Vnde omnes gentes hoc pro infima miſeria atque ſervitute habuerunt, externo imperio ſubditum eſſe. Hinc hiſtoriæ produnt, ſtatus Hiſpaniarum præoptaſſe liberos emori, quam vitam Galliis debere, atque in illorum ſervitio vitam exigere, poſtquam intellexerunt Alphonſum Caſtum improlem decedentem, regnum Hiſpaniarum Carolo Magno hæreditatis jure tranſcripſiſſe, quamvis ſub conditione, ut Saracenos & Mauros inde exigat.

Et ſi quatuor Monarchiarum origines recte perpendantur, vix aliam fundamentalem legem in omnibus illis inven re licebit, (utut Alb. Gentilis lib. 2. de armis Rom. in favorem hujus Monarchiæ contra nitatur) quam tyrannicam illam, ut ſcilicet fortior inferiorem ſibi ſubjuget: quam tamen ſoli injuſti tyranni eorumque aſſeclæ commendant, atque omnes probi ſemper execrati ſunt. Et Auguſtinus regna hoc modo acquiſita & habita, Magna latrocinia vocat: atque pirata quidam Alexandro Magno non inſcite objecit, Ego qui unica navicula prædatum profectus ſum pro latrone habeor;

tu vero ingenti exercitu idem faciens pro ſtrenuo Rege haberi vis.

Haud facile ad bellum ſine ullo obtentu proſilitur, atque jus hoc apud magnates præſertim hoc ſolum fundamento nititur, ut habeant jus quæſitum inferiores opprimendi. An hoc coram DEO excuſari queat, cuique ſincero Chriſtiano cogitandum relinquam.

Summa neceſſitas flagitare videtur, ut illi qui de caſibus conſcientiæ, ut vocant, ſcribentes, miſeris hominibus ob duos aut tres æreolos injuſte acquiſitos, ſalutis jacturam denunciant, etiam magnatum hac in re enormitates in lucem producant, atque ſub examen ſerium vocent, diſquirendumque proponant, an bella illa quibus ſanguis humanus torrentium inſtar profunditur, à mera ambitione vel à juſta cauſſa procedant? atque utrum ratio ſtatus, ut vocant, ambabus manibus ad ſe rapiens quicquid apprehendit, cum vera religione ullo modo conſiſtere poſſit? Id quod Cominæus ſibi nulla ratione perſuadere potuit; quin credidit, univerſum mundum, inprimis autem magnates, horribiliſſimo incredulitatis vitio infectos eſſe, atque omnium malorum atque miſeriarum cauſſam eſſe, quod nihil intermittant quod ad illorum proſperitatem atque dignitatem temporalem fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

cere videatur, cumque vitæ conſervandæ cauſſam nullam expenſam magni æſtiment, imo integras regiones ſæpe tranſſcribant, ſolum ut ex captivitate ſe rediman; pro animarum tamen ſuarum ſalute etiam viliſſimum pagum per vim extortum priori ſuo domino reſtituere tergiverſentur.

Hanc Monarcharum aviditatem, violentiam & rapacitatem egregie Herodotus quoque lib. 7. depinxit, dum poſtulationem aquæ & terræ juri ſummo Imperii Perſici aſſcripſit, additque Perſas à vicinis ſuis terram & aquam petiiſſe, abnegantibuſque bellum intuliſſe. Alexander Magnus quoque ſuum bellandi ac vincendi ardorem tali prætextu apud Curt. l. 4. excuſat, quod neque cœlum duos Soles, neque terra duos reges commode ferre poſſit. Quin & ipſi Romani palam profiteri auſi ſunt, Ita Diis placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios judices quam ſeipſos paterentur, Tacit. lib. 13. Annal.

Non defuerunt tamen populi, qui ſe arroganti huic Monarcharum juri fortiter oppoſuerunt: nam Græci Perſicam Monarchiam admirabili virtute & ſucceſſu repulerunt, atque Dei benignitate libertatem ſuam avitam protexerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

quandiu bonos mores & ingenuas diſciplinas excoluerunt. Atque incolæ inſulæ Coos, Dario & Xerxi aquam & terram à ſe petentibus denegarunt; at Spartani eorundem legatos idem poſtulantes primum in puteum præcipitarunt, deinde terra contexerunt, ſcilicet ut haberent, quod poſtularant. Præterea modo nominati Coi regi regum Artaxerxi Hippocratem ab ipſis flagitanti denegantes reſcripſerunt; Cum Darius & Xerxes epiſt. ſcripſerint, & terram ac aquam à patribus noſtris petiverint, populus non dedit: quum eos ipſos ſe impetentes, ſimiliter velut alios homines, mortales eſſe videret. Et nunc idem reſponſum dat. A Cois diſcedite, quoniam Hippocratem in manus veſtras non dant. Renuntiate igitur ipſi vos nuntii, quod neque dii ipſi, noſtri negligentes erunt.

Tum etiam conſtat, violenta ejuſmodi Imperia nunquam fuiſſe diuturna, nec unquam inſatiabile ſuum deſiderium toti mundo imperandi ipſo effectu complevisse; ſed cum maxime florere viſa ſunt, ſubito graviſſimo lapſu corruere, atque impietatis ſuæ meritas pœnas perſolvere.

Hæc immenſa Imperia non ſolum tyrannica, ſed etiam infirma à quibuſdam nominantur, qui plurimum expedire crediderunt, ut ſingulæ gentes ſingulos re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ges habeant, quoniam ſic omnia uno quaſi obtutu melius adminiſtrabuntur atque ordinabuntur. Nam parum utile eſt plures regiones obtinere, atque neceſſe habere per præſides mercenarios illas adminiſtrare; quod Trajanus Boccalini in ſuo Parnaſſo cent. 1. ſermone 47. eleganter demonſtrat, inducens paſtorem qui à 50. ovibus, quarum inſpectionem ipſe habet, plus lucratur, quam alius à quingentis, quas ſervi conductitii paſtum agunt. Hujuſque rei hodie clarum exemplum habemus in Hiſpania, quæ olim plures adhuc dominos habens plus ſæpe militum ſuppeditavit, quam hodie Rex unus omnibus ſuis regnis extorquere poteſt. Quare ſapientes principes perſuaſum ſemper habuerunt, nimis vaſta Imperia plus nocuiſſe quam profuiſſe, atque inſtar hydropici aut alio modo monſtroſi corporis ſe habere.

Ipſa etiam experientia docuit, ſub immenſis Imperiis minores populos ſemper majoribus imperaſſe: neque fere quicquam retinuiſſe quam provincias ac regiones per vim occupatas, & immunitates atque privilegia omnia infirmiorum tolluntur. Hinc Politicorum regula eſt univerſalis, quod haud bonum ſit civitati magno Imperio uniri. Hinc & Luſitani infœlices ſe judicarunt, quod hæreditario

ditario jure Philippo II. regi Hiſpaniarum acceſſerunt. Sic Belgium quoque olim diverſos dominos habuit, poſtquam vero domui Burgundicæ primo, deinde regno Hiſpanico illius provinciæ omnes ſubjectæ fuerunt, Carolus V. ſub formam regni reducere illas fruſtra conatus eſt: quandoquidem illæ diverſis immunitatibus gaudebant, atque privilegiis, quæ ſibi ereptum iri impatientiſſime doluerunt. *Meteran. l.2. hiſt. Belgic.*

Sic pariter perniciosum quidam credunt eſſe Norvegiæ, quod ſub ditionem regis Daniæ ceſſit, quod Boterus in Amphitheatro ſuo his verbis ſatis innuit: Norvegiæ populi olim valde potentes, afflixerunt diu Angliam, divexarunt Franciam, obtinuerunt in ea dominium Provinciæ quæ adhuc dicitur Normannia. Et paulo poſt: Regnum Norvegiæ turbis exagitatum, pervenit ad Regem Daniæ, qui, ut de illo ſecurus ſit, tractat dure incolas, ſpoliatque eos facultatibus, nec miſeris hominibus ſpes eſt melioris fortunæ. Cum hoc conſentit Iacobus Ziglerus in ſua Schonlandia ita ſcribens: Itaque Norvegia hoc tempore eſt ſub poteſtate Danorum: hi non legitimos modo reditus & vectigalia tolerabilia imperant, ſed omnia commoda corradentes, transferunt in Daniam: videlicet, diuturnitatem Im-

perii conſtituentes, infirmitate ſubjecto-rum. Hæc fortuna eſt Norvegiæ. Neque ipſa ædificia urbium, ſuam amplitudinem & dignitatem veterem tueri poſſunt, nec ſpes eſt ſtatus reparandi: publici enim conventus non admittuntur; Nemo ex arbitrio ſuo referre audet, aut opere tentare, incertus de omnium voluntate.

Sic etiam hodiernus Rex magnæ Britanniæ, duo hæc regna Anglicum & Scoticum una inſula comprehenſa, unire & copulare aggreſſus eſt, curavitque nummos aureos & argenteos cudere, cum hac inſcriptione: *Qua* DEVS *conjunxit, homo non ſeparet*. rurſuſque alios cum hac: *Tueatur unita* DEVS. duplis Anglicanis, ut vocant, hæc inſcripta ſunt verba: *Faciam eos in gentem unam.* coronati duplices Anglicani, ut & dimidii hæc præ ſe ferunt verba: *Henricus roſas, regna Iacobus.* His tamen non obſtantibus, ſtatus Scotiæ & Angliæ congregati varia gravamina allegarunt, quia unum regnum multo potentius & ditius eſt altero, unumque pluribus privilegiis munitum quam alterum. *Meteran. l.25. f.279.*

Veriſimile eſt, hodie diverſitate religionum rem eo eſſe perductam, ut neque univerſalis monarchia, neque ullus particularis regni dominus abſolutus eſſe queat.

Siquidem

Siquidem experientia teſtatur, regiones abſolutos dominos habentes, non niſi unum dominum perferre, nullam pacem religionis admittere, omneſque hæreticos, quos vocant, peſſime odiſſe.

Sic Hiſpanica Monarchia hoc nomine paſſim traducitur, quod nunquam cum ullo Principe diverſæ religionis pacem inire voluit, curatque in omnes non Catholicos per univerſum regnum diligentiſſime inquiri, atque captos aut ſuſpectos inhumano modo torqueri atque miſerrime trucidari jubet.

Contra Carolus V. non ſponte, ſed ideo in pacem religionis conſenſiſſe creditur, quoniam Imperium Romanum ſtatum Ariſtocraticum ſibi permixtum habuit, & quod potentes Germaniæ ſtatus ſuo arbitrio domare nequivit. nam in regionibus ſuis hæreditariis omnes hæreſeos convictos comburi mandavit, etiamnum vivus, omnemque libertatem conſcientiæ longe valere juſſit.

Tandem, oppugnatores Monarchiæ etiam illud in medium producunt, quod hæc noſtro tempore ſperari nec poſſit nec debeat, omniaque quæ quis contra moliatur vana irritaque eſſe.

Siquidem ne jota quidem hac de re in SS. Scriptura, omneſque prophetæ de eo aut prorſus tacent, aut contrarium aſſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

runt: cum Daniel cap. 2. v. 41. de Monarchia quarta hæc prædicat, imperium illud diviſum, & partim robuſtum, partim infirmum futurum: moxque verſ. 43. ſubjungit, illos quidem humani vinculo coituros, ſed inter ſe non conſenſuros: quod quidam de potentia Hiſpanica, quæ maxima ex parte per conjugia ſuccrevit, intellectum volunt.

Adjicit idem propheta Daniel cap. 7. verſ. 24. ex ultima aut quarta Monarchia decem regna naſcitura: non tamen addit, fore ut illa uniantur.

HACTENUS candide & ſincere in utramque partem adducta ſunt argumenta, univerſalem Monarchiam, tum propugnantia, tum oppugnantia: quæ ſane omnia, meo quidem judicio, magni ſunt ponderis, ita ut ipſe dubitem, cui parti accedendum ſit. Acutiſſimus tamen Cardinalis Bellarminus probe hac in re mihi conſuluiſſe videtur, qui, de politicis fundamentis verba faciens, expertum ſe loqui aſſeverat, dum libro 1. de Pontifice cap. 9. ita ſcribit: Quamvis omnino neceſſarium non ſit, ut omnia mundi regna ab uno ſolo capite regantur: utiliter, tamen hoc, meo judicio, fieret, modo ſolo jure & non armis, præſertim ſi ejuſmodi

modi Monarcha, regiones non per vicarios aut præſides, ſed per principes regeret tales, qui ipſi non ſecus ac Epiſcopi Papæ ſubjecti eſſent. Sed quia hujuſmodi Monarchia ſine maxima vi & ſanguinis profuſione inſtitui haud poteſt, recte à D. Auguſtino l. 4. de civit. Dei cap. 15. ſcriptis relictum eſſe, Quod fœliciores forent res humanæ, ſi omnia regna eſſent parva, & concordi vicinitate lætantia. Atque idem Bellarminus l. 3. cap. 36. de Pontifice, ait, Antichriſtum, qui ut Catholici ſentiunt, venturus etiamnum eſt, totius orbis terrarum Monarcham futurum. Siquidem Chryſoſtomus in 2. ad Theſſal. 2. ait, Antichriſtum Monarcham futurum, & ſucceſſurum Romanis in Monarchia, ſicut Romani ſucceſſerunt Græcis, Græci Perſis, Perſæ Aſſyriis. Ejuſdemque opinionis Cyrillus quoque eſt Catecheſi 15. inquiens, Antichriſtum Monarchiam adepturum, quæ antea fuerat Romanorum.

Verum enim vero ſi hæc omnia penſiculatius perpendere voluerimus, propemodum fateri cogemur, omnes hujuſmodi diſcurſus non ſolum ambitioſos & vanos, ſed etiam periculoſos eſſe, ſi quis in vita particulari huc intendere, & certæ parti accedere voluerit, & maxime, ſi hoc quaſi fundamento poſito aliquid

maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

maximi momenti ſuperſtruere, & hujuſmodi diſcurſus non animi cauſſa duntaxat ventilare voluerit. Dare enim & adimere regna à multo ſublimiori cauſſa proficiſcitur, & primo in cœlo concluditur, atque tum demum in terris in actum perducitur.

Cum enim Deus conſilia hominum moderetur, ſummæ amentiæ eſt, ipſi limites ponere, modos præſcribere, ac tempora definire velle, & non decretum ejus exſpectare, ab initio pro lubitu nobis proponere, atque poſtmodo orare, ut cœptis noſtris aſpiret. nam DEUS agit modo plane diverſo à noſtro, atque nos ne hilum quidem hac in re proficimus. Si enim DEUS Hiſpanos (exempli gratia) ad ſummum Monarchiæ faſtigium elevare vult, fiet hoc etiam invitis omnibus, imo tantum aberit, ut hominum conatus illi obſtare queant, ut etiam illam promoturi ſint.

Quod ſi contra ſtat DEI ſententia; incaſſum huc omnes animi & corporis ſui vires intendent, ſed quanto magis nitentur, tanto majus exitium ſibi ipſis parient.

Hac vero in parte homines idiotæ & privati multo meliore conditione ſunt, quam docti, & quos officii ratio ad conſultandum in rebus mundanis, tam periculoſis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

culoſis, cogit. nam ſi unuſquiſque etiam de ſolo inutili verbo aliquando rationem reddere cogetur, quid fiet de illis qui jam in magnis officiis conſtituti conſiliis ſuis, maximis effuſionibus humani ſanguinis, perditioni æternæ tot animarum, denique immanibus vitiis, crudelitatibus, fami, miſeriæ, & afflictioni innocentium hominum cauſſam præbent?

Contra qui his malis omnibus exempti, tantum compatiuntur & perpetiuntur, hoc certo ſibi perſuadere poſſunt, has afflictiones ſibi non niſi bene ceſſuras, ſi modo in veritatis agnitione & amore DEI perſiſtant.

Nos vero clare hinc perſpicimus, quam clementer Dominus nobiſcum agat. Etenim verus Chriſtianus neceſſe habet mundum contemnere, libenter illi renunciare ſummoque deſiderio ſurſum ad cœleſte ſuum πολίτευμα anhelet. hoc vero homini proſpere & fœliciter hic viventi difficile, ac, pene dixerim, impoſſibile videtur. Quibus omnia proſpere & ad votum in hac vita ſuccedunt, illi per-inviti ex illa decedunt, vixque reperitur, qui terreſtrem paradiſum cum cœleſti permutare velit. Huic malo ut obvietur, Deus hoc tam ſalutare remedium in manus ſumit, nobiſque bella & perſecutiones immittit, voluptates & delitias noſtras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſtras temporales confundit ac perturbat, ut nihil magis cupiamus, quam mox diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Quod omne Eucherius Epiſcopus Lugduno-Gallicus in tractatu ſuo de contemptu mundi pervenuſte deſcripſit his verbis: Vix jam hoc habet Mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum, ad decipiendum uſque decora. Prius nos ſeducere vero cogitabat fulgore, non poterat; prope jam non valet, & ipſa nos falſa oſtentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus ſpecioſa ornant, aut in poſterum manſura confirmant. Niſi noſmet ipſi decipimus, pœne mundus decipere nos non poteſt.

Poſtrema mundi ætas referta eſt malis tanquam morbis ſenectus. Viſa ſunt, videnturque jam dudum iſta cano ſæculo, fames, peſtilentia, vaſtitas, bella, terrores: hi ſunt in ultimis jam annis languores ſui. Atque hoc non infirmitatis noſtræ verbis, ſed etiam Apoſtolicæ authoritatis confirmatur eloquiis, illic enim legitur: In nos fines ſeculorum devenerunt, 1. Cor. 10. verſ. 11. Quod cum jam dudum dictum ſit, quid cunctamur? quid expectamus? urget nos dies ille jam non noſter tantum, ſed & ſeculi, incumbit mihi miſero jam mundi mortalitas, tanquam mihi non ſufficiat ad terrorem

mea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

mea. Securitati locus non eſt, quando terminus in nos impendet indifferenter, ſingulorum hinc, hinc omnium.

Quo magis eſt in hoc, non dicam ſeculi exitu, ſed vel in hoc rerum ejus defectu hominum miſeranda conditio; qui ſibi nec futurorum ſpem gaudiorum reponunt, cum jucunditate præſentium non fruantur.

Nec eſt quod terreant nos afflictiones hujus mundi, cum hæ à Servatore noſtro prædictæ quidem ſint, ſed magna addita conſolatione, quæ legitur apud Lucam c. 21. v. 9. Cum bella bellorumque rumores audieritis, ne terreamini; hæc enim præcedere neceſſe eſt. Et apud Marcum, c. 13. v. 8. Populus contra populum inſurget, & regnum contra regnum, paſſimque fient terræ motus, caritates, atque pavores, hocque erit initium miſeriarum. Et apud Lucam c. 21. v. 28. Hæc vero cum advenerint, videte, & tollite capita veſtra, quia liberatio veſtra appropinquat. Quomodo vero hic noſmet gerere debeamus, idem docet Matth. 24. v. 12. & ſeq. Quia vero injuſtitia ſuperabundabit, fiet, ut charitas multorum refrigeſcat: qui vero ad finem uſque perſeverabit, ille ſervabitur. Et apud Lucam c. 21. v. 18. & ſeqq. Pilus capitis veſtri non perdetur, poſſidete animas veſtras in patientia.

Non.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Non poſſum autem quin denuo referam, Chriſtum de cruce prope ſolum prædicare, & ne verbulo quidem innuere, ut Chriſtianus actionibus iſtis ſe immiſceat. Prophetæ etiam ipſi indicant; fore noviſſimis temporibus, ut homines ſapientes ita lateant ut nuſquam appareant. Sic enim Eſdras l.4.c.5.v.1.9.19. ait: Ecce, tempora appropinquabunt, ut deprehendantur habitatores terræ in magno numero, viaque veritatis erit abſcondita, terraque ſine fide erit: improbitas autem prævalebit, unus amicus pugnabit contra alterum, atque intelligens tum erit abſconditus, & ſapiens procul habebitur, tanquam in conclavi ſuo, multique quærent eum, ſed non invenient. Item Amos c.5.v.13. Eo tempore opus eſt, ut prudens taceat; eſt enim tempus malum. Sicut ergo valde periculoſum eſt, immiſcere ſe hujuſmodi rebus: ita cavendum eſt prudenti, ne judicium ſuum præcipitet, ſed omnem rerum eventum Dei clementi voluntati, neutrubi inclinans, permittat, atque ſub crucis onere ſe cum aliis oblectet, quod neceſſe habiturus non eſt, tam gravem rationem aliquando reddere, quam illi qui eum cruce illa onerarunt. Ne provocet ad judicium, quin potius æquus in omnem partem oret, ut Deus omnia in Eccleſiæ

ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

ſuæ & afflictorum ſalutem convertat, dicatque animitus & patienti animo cum Aſaph, Pſ.74. Cur ita repuliſti nos Deus? memor ſis congregationis tuæ quam pridem acquiſiviſti, & tibi in hæreditatem redemiſti; nos non videmus ſigna noſtra, neque eſt propheta qui concionetur. Solum illud cogita, inimicum blaſphemare Dominum, atque quod populus demens nomen tuum criminatur. Ne tradas animam turturis tuæ, beſtiæ, nec prorſus obliviſcaris pecorum tuorum. Revoca in mentem tuam fœdus: nam regio ubique miſerabiliter vaſtata jacet, domus ſunt dilaceratæ, ne dimittas pauperem cum ignominia. nam miſeri & afflicti glorificant nomen tuum. Surge Deus, & jus tuum aſſere, memor eſto contumeliæ, qua ſtulti quotidie te afficiunt. Et Pſalmo 76. Potentior & præſtantior es Deus montibus aſperis & incultis, ſuperbi in prædam cedent, omnes bellatores coguntur dimittere manus, ab increpatione tua, Deus Iacob, torpeſcunt equi & currus. Cum tu judicium de cœlo promulgas, contremiſcit terra, atque ſilet cum Deus ſurgit ad judicandum, ut opẽ ferat omnibus miſeris ſuper terram: cum homines contra te inſaniunt, etiamne paratus es? Pſ.77. patiar hoc neceſſe eſt: manus ſupremi omnia immutare poteſt.

Quomodo vero illi qui ad rerum gubernacula ſedent, neceſſarioque hiſce rebus, quarum cardo jam vertitur, involvuntur, gerere ſe debeant, ego quidem jam, habita tenuitatis meæ ratione, in medio relinquam. Hoc vero diligenter omnibus cavendum eſt, ne operam ſuam in ejuſmodi officia ingerant, neve illa affectent, ſed vocationis ſuæ normam attendant, atque unice ſequantur. hic vero inprimis requiritur, ut omnes privati affectus, avaritiam aut ambitionem qualitercunque redolentes, ab hujuſmodi viris quam longiſſime abſint.

Corde igitur jam in modum templi mundato, fatigandus eſt tibi DEVS precibus cum Salomone, non ut aurum vel argentum, non ut propagationem limitum, familiæ dignitatem, victoriam aut animam hoſtium tuorum, tibi largiatur, ſed ut det animam & mentem intelligentem & ſanam in corpore ſano, ut populo tuo ſive cum exeundum, ſive cum introeundum eſt, digne præcedere valeas, ſecundum DEI omnipotentis placitum, & populorum ſalutem.

Hîc omni humana ſapientia & peritia ſepoſita ſolis precibus indulgendum eſt: nam ſicut omne bonum à ſolo Deo in nobis perficitur: ita diligentiſſime nobis cavendum eſt ne ſanctis illius operibus in nobis reſiſtamus. Priuſ-

Priuſquam finiam, non poſſum non adducere, quod non parum inquietudinis, ut quidam colligunt, hoc noſtro tempore movet; quando reperiuntur, hodie multi, qui ſpreta ſimplici pietate & timore Dei, ad neſcio quas ſublimes & maximæ hominum parti ignotas artes aſpirant, neque dant operam, ut antiquus rerum adminiſtrandarum modus conſervetur aut reducatur: ſed opinione univerſalis Reformationis inſtantis jam infatuati, cupiunt, & quantum poſſunt adjuvant, ut omnia ſurſum deorſum volvantur, quia ſcilicet, juxta tritum illud ſperant, ſe aqua turbida plus piſcium capturos, atque animo ſuo avido morem geſturos, parum ſoliciti, quo immerentem & miſeram plebeculam redacturi ſunt.

Totum jam mundum hujuſmodi fanaticis abundare ſatis declarat famoſa illa Fraternitas roſeæ crucis. Vix enim phantaſma illud lucem aſpexerat, (quamvis fama & confeſſio illius ſatis arguit, id eſſe merum luſum ingenii nimium laſcivientis,) quoniam nimirum ſpem aliquam univerſalis reformationis facit & res partim ridiculas & abſurdas, partim etiam incredibiles profitetur; diverſi diverſarum regionum etiam probi & honeſti viri eludendos & deridendos ſe præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

buerunt, ut vel palam operam ſuam & patrocinium illi detulerint, vel, ſuppreſſo nomine, ſe illis fratribus (quod nomen etiam antiquiſſimis illis prophetis parum uſitatum) per ſpeculum Salomonis, vel alio occulto modo, innoteſcere poſſe ſibi perſuaſerint. Imo reperti ſunt adeo ſtolidi, qui reformationem totius mundi à Trajano Boccalini inventam, & de verbo ad verbum ex Italica illius editione verſam & vulgatam, pro ſingulari quodam myſterio amplexi & Cabaliſtico quodam more interpretati fuerint, quaſi ars chymica vel chryſopœïas in illa occultata contineatur, quod forſan autori ipſi nunquam in mentem venit.

Hoc non aliunde fit, quam quod plerique Prophetas legentes & meditantes non ſolum ad ſua tempora eaſdem reſtringunt, ſed & pro ſuo libitu atque voto interpretantur, aut quod novis & antiquis prognoſticis hinc inde divulgatis vel nimis quam par eſt, fidunt, vel eadem perverſe accipiunt. Equidem certum & extra dubium eſt, in utroque Teſtamento ſacro innumeras eſſe prophetias, quæ de tempore in tempus uſque ad conſummationem rerum vaticinantur: ſicut & illud verum eſt, prophetias omnes in noviſſimis temporibus melius intellectum iri quam unquam antea; hocque propheta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Daniel ſatis aperte indicat, quem Angelus in ultimo ſuo capite, verſu 4. ita alloquitur, Tu Daniel abſconde iſta verba, atque ſcripturam hanc obſigna ad noviſſima uſque tempora; tum enim multi venient, & magnam intelligentiam ex illa haurient. Nec ſine ratione in hujuſmodi prophetica myſteria diligenter inquiritur, ad quod nos ipſe Apoſtolus Iohannes in Apocalypſi ſua hortatur, dum c. 13. v. ultimo ita inquit, Hîc eſt ſapientia, qui intelligentia valet, ſubducat numerum beſtiæ hujus: eſt enim numerus hominis, illiuſque numerus eſt *666.* Veruntamen myſterium hoc propheticum tam arduum eſt, ut à nullo humano ſenſu inveſtigari poſſit, ſed illo ipſo Spiritu quo ſcriptum eſt, etiam intelligatur neceſſè eſt. Iam vero intolerabilis eſt audaciæ quenquam hominem hoc donum ſibi aſſcribere, & de eo gloriari quod neutiquam illis datur, qui ore ſolum Deo accedunt, cor vero ſuum longe ab illo remotum habent, imo glorioſi tales eo majori cæcitate, & deſipientia circa ſacras prophetias puniuntur, ita ut in illis comprobetur illud ab Eſaia cap. 29. verſ. 11. dictum, omnia Prophetarum acta habebunt ſe inſtar verborum libri obſignati, quem nemo legere poteſt: neque ſcripturarum prophetiæ ex proprio cujuſquam

ingenio explicationem capiunt, perinde atque nulla unquam prophetia humano ingenio elicita eſt, 2 Pet. 1. *v*. ult. Maximum vero & divinum opus eſt diſcernere poſſe tempora, quod illius farinæ interpretes facere præſumunt. Vobis non convenit ſcire tempus aut horam, quod Pater poteſtati ſuæ reſervavit, reſpondit Chriſtus ipſe diſcipulis, ſciſcitantibus, quo tempore regnum Iſraëlis reſtituturus ſit, Act. 1. v. 7. Quare ſummi periculi res eſt, ſupra iſtiuſmodi propheticas explicationes res maximi momenti velle fundare: habent enim ſe illæ prophetiæ inſtar cultri ancipitis, quem niſi dextre apprehendas, facile te vulnerare poteſt.

Il Paſtor Fido At. 1. Sc. 4.

Sono come il coltel, che ſe tu'l prendi
In quella parte, oue par vſo humano
La man s'addatta, à chi l'adopra è buono;
Ma ch'il prende oue fere, è ſpeſſo morto.

Et vero hiſtoriæ cum ipſa experientia atteſtantur, illos qui ſacræ ſcripturæ interpretationem certis locis aut temporibus applicare conati ſunt, longiſſime erraſſe: qua de re VVernerus Rolevvinck in Faſciculo temporum ſub an. 1364. ita ſcribit: Iohannes de Rupeſciſſa, de Ordine Mino-

Minorum, multa prædixit mox futura de duobus Antichriſtis, & deſolatione terrarum, & generali conculcatione cleri, & reductione totius orbis ad fidem Chriſti, pluraque alia, ante annum Domini M. CCC. LXX. quæ dixit ſibi revelata à Domino Ieſu, ſed non evenerunt; & diu in vinculis tentus, grandia ſcripſit de futuris. Et nota, quod pene ab initio Fidei hujuſmodi prognoſticatores fuerunt, & quotquot tempus determinatum prædixerunt, de hujuſmodi arcanis quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, decepti ſunt. Ideo non eſt hujuſmodi revelationibus amplius fidendum.

Hoc idem communi noſtræ matri Evæ ab initio ſtatim contigit, putanti ſe peperiſſe Meſſiā, qui caput ſerpentis contriturus ſit, Gen. 4. & tamen in hoc ipſo graviſſime erravit. Quamvis enim multi explicationem hanc in dubium vocent, utrum ſcilicet Eva, poſtquam peperit Caïnum crediderit ſe Meſſiam peperiſſe, ut apud Ianum Druſium ad loca Gen. c. 13. videre licet: tamen antiquus Paraphraſtes Chaldaicus Ionathan Vzielis eandem confirmat, una cum duobus celeberrimis Hebræis Fagio & Forſtero. Quin & Lamech pater Nohæ ſibi perſuaſit, filium ſuum Noha Meſſiam fore, qui maledictionem lapſus averſurus ſit, dum

 inquit,

inquit Gen.5. v.29. Hic nos ſolabitur in miſeriis& laboribus noſtris ſupra terram, quamDeus maledixit. Vnde illi etiam nomen Noha indidit, quod requiem ſignificat. Et quidem ille non omnino aberravit, ſiquidem ille typus quidam fuit Meſſiæ; reliquiaſque generis humani ab aquis eripuit, ſicut nos Chr. ab aquis infernalibus ſervavit. Vnde quodammodo liquet, quoſdam prophetias non omnino male apprehendere, ſed in eo errare, quod umbram pro corpore captant. Sic Filii Iſraëlis graviter errarunt in eo, quod nimium è deſerto in terram promiſſam pervadere laborarunt, atq; ideo ab Amalecitis & Cananitis repulſi fuerunt. Num.c.14. v.40. quamvis verum fuit, filiis Iacobi promiſſam fuiſſe illam terram, quam ſuo tempore extinctis indigenis eſſent occupaturi; ſed quia fœlicitatem hanc nulla prævia humiliatione, & indignitatis confeſſione expoſcere, quaſi jure ſibi debitam, voluerunt, longe ab intentione ſua aberrarunt. neque ita comparatum eſt, ut in terram benedictam, Deo non duce, perrumpere detur. Ipſi diſcipuli Chriſti Spiritu Sancto nondum initiati de regno Chriſti, quod ſpirituale, admodum abſurdas & carnales opiniones habuerunt, ad inſtar fere hodiernorum, nec non primum & ſecundum adventum Chr. confuderunt.

Chri-

Chriſtianus VVurſtiſius in Chronica ſua Baſileenſi mentionem facit cujuſdam, qui Nicolaus à Buldesdorf nominatus fuit, qui anno 1446. ingreſſus in concilium Baſileenſe Paſtorem Angelicum ſeipſum nominavit, perhibuitque fore, ut Antichriſtus per ipſum peſſundetur, Iudæi è captivitate liberentur, Eccleſiaque ex Gentilibus colligatur, mali extirpentur, pluraque alia; ob quam cauſſam & ipſe pro hæretico punitus fuit. Hac eadem tamen audacia Anabaptiſtæ Monaſterienſes multis annis poſt de novo uſi ſunt, idem ſibi arrogantes, jamque inſigni vi & conatu in opus traducere aggreſſi fuerunt, idque ejuſmodi rationibus (quæ etiam hodie apud multos pondus habent) ſingulari libro cui titulus De reſtitutione ſeu renovatione, ut docet Sleidanus lib. 10. excuſare conati ſunt.

Idem ſibi paucos ante annos imaginati ſunt aſſèclæ famoſi illius Ezech. Mett. mira & magna pollicentes, quæ tamen de præterito, minime vero de ſuo tempore accipienda fuerunt. Tres igitur duri ſunt ſcopuli, ad quos mare propheticum tentantes plerunq; navem frangunt, dum vel quod ſpiritualiter accipiendum, nimis carnaliter accipiunt; vel, quæ ſecundum literam eventum ſuum certo tempore habitura ſunt, ad certos locos & an-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

nos, affectibus propriis indulgentes violenter & abſurde aſtringunt. Notent vero Germani, non omnes prophetias & actu futura, aut ſi quid magni momenti in orbe terrarum perficiendum adhuc reſtat, de ipſa Germania accipienda eſſe. Nam ſicut mille ducentis ab hinc annis regio illa pene ignota, barbara, inculta, religionis veræ & omnium elegantium ſcientiarum & artium expers fuit, nihilque minus quam hanc rerum proſperitatem, ad quam ab illo tempore paulatim emerſit, polliceri ſibi potuit: ita viciſſim, Deus eandem propter ingratitudinem ſuam pari modo ac alias terras affligere poteſt, niſi mature reſipuerit, atque per populum nobis forſan adhuc plane ignotum, aut contemptibilem egregia illa geſta effectui mandare poteſt, quæ ſecundum Scripturam ante adventum Chriſti accidere neceſſe eſt.

Certum ergo eſt, non omne quod in Prophetis reperitur ad geſtum & tempus quod nobis imaginamur & vellemus, revocandum eſſe, etiamſi id non incommode fieri poſſe videatur. Cujus rei unum ſolum exemplum adducam: Commemoratur in libro Eſdræ capite 11. & 12. viſio aquilæ & leonis, & quidem leonis humana voce aquilam alloquentis, his verbis: Audi tu, loquar ad te, & ſupremus

mus omnium tibi declarabit; nonne tu ille es, qui viciſti animalia, quibus ſupra terram & in mundo meo poteſtatem regnandi dedi, ita ut terminus temporis illorum per illa compleretur. Tu offendiſti manſuetos animo, tranquilloſque & placidos læſiſti, amaſti mendaces & habitationes frugiferorum diruiſti, atque muros eorum demolitus es, qui nihil damni tibi intulerunt. Quare iniquitas & contumelia tua ad faſtigium ſuum pervenit, atque ſuperbia tua ad ſummum ſuum *vigorem* perducta eſt: Supremuſque contemplatus eſt ſæculum ſuperbum, & ecce finitum eſt, atque crimina illius accumulata ſunt. Quare tu aquila ne amplius compareas, nec horribiles tuæ alæ, nec improbæ tuæ pennæ, nec capita tua improba, nec ungues tuæ turpes, nec totum corpus tuum vanum; ut terra refocilletur, atque ad ſe redeat, liberata à poteſtate tua, ut ſpem concipere queat, judicium & miſericordiam creatoris ſui. Et factum eſt, poſtquam leo hæc verba ad aquilam prolocutus eſt, & ecce, (inquit Eſdras) caput quod antea ſuperaverat, ſtatim nullum fuit, & quatuor alæ non amplius comparuerunt, quæ ad illum venerant, & ad regendum erectæ ſunt, fuitque regnum illorum parvum, ſeditioniſque plenum. Atque ego vidi, &

ecce

ecce, nuſquam ulterius apparent, & totum corpus aquilæ igne fuit exuſtum, terraque valde perculſa eſt. Videat qui vult ibidem etiam explicationem Eſdræ datam.

Quidam proximè præteritis annis arbitrati ſunt, hoc eſſe ipſiſſimum illud tempus, quo prophetia illa eventum ſuum revera ſortitura ſit. Et quidem res geſtæ hujus temporis opinionem illam valde confirmare viſæ ſunt, ita, ut primo intuitu fere nihil aliud conjectari potuerit, quam prophetiam illam initium validum jam nactam eſſe, & ipſum eventum mox quoque conſecuturum.

At Dominus Deus rerum faciem confeſtim mutavit, atque omnes has cogitationes evertit, atque irrefragabiliter oſtendit, quam periculoſe res tanti momenti ad certa individua perſonarum aut locorum aſtringantur.

Multo abſurdius Chriſtianitatique magis multo adverſari videtur, quod innumeri hujus ſæculi omnivariis priſcis & modernis prognoſticis, prophetiis, revelationibus, aliiſque rebus innituntur, atque cogitationes & affectus, imo etiam conſilia ſua ſecundum illas diſponunt: cum multa ſubſint ſuppoſititia, ſpuria & fraudulenter, vel in adulationem, vel in deceptionem aliorum excogitata: ut ſic

confundant mundum, atque ut aperte dicam, proximum ſuum mendaciis circumveniant, fallantque. Multa hujuſmodi prognoſtica etiam bona fide ab autore edita, inter deſcribendum depravata fuerunt, multa etiam ex Cacodæmonis ſuggeſtione in lucem prolata.

Quod vero non omnibus Prophetiis, etiam ſincerorum autorum fides habenda ſit, ſed quod illæ etiam ab afflatu fanatici & mali ſpiritus proficiſcantur, evidentiſſimo exemplo docetur in libro primo regum cap. 22. ubi videmus, Deum ad præcipitandos reges contumaces etiam uti miniſterio Pſeudoprophetarum. Deſcribitur enim ibi ſpiritus, qui in medium progreſſus, in conſpectum Domini, dixit, Ego profectus ſpiritus mendax ero in ore omnium prophetarum Achab regis. Cui Deus reſpondit: Abi igitur, & fac ut dixiſti. At ille diſcedens in Zedekiam intravit, qui vero Prophetæ Michæ contradixit, atque ulterius intulit: Ergone Spiritus Domini à me receſſit, ut per te loqueretur? Curavit itidem cornua ferrea ſibi confici, poſteaque dixit: Sic inquit Dominus, his conteres Aſſyrios, ad internecionem uſque. Idemque aſſeverabant omnes reliqui prophetæ.

Vbi videmus, Zedekiam ipſum credidiſſe impetum ſuum proceſſiſſe à Deo.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

At eventus docuit, quam turpiter fuerit deceptus, ſiquidem plane contrarium evenit. Videmus præterea, quam ferociter & immodeſte Zedekias ille ſe geſſerit, quam audaciter Michæ in os contradixerit, dum ſpiritui ſuo malo confidit.

Sæpenumero etiam contingit, ut aliquis ſuo proprio ingenio & imaginatione deceptus ſe pro propheta gerat, ſibique ipſe perſuadeat, ſe eſſe templum Dei, in quo Deus non ſolum habitet, ſed etiam oracula quaſi ex antro Delio profundat. Quam mira ac ſtupenda fere, re ipſa tamen vana, phantaſia propria cuiq; ſuggerere poſſit, vel ſomnia ſola, loquelæ, imaginationes & geſtus delirantium declarant, præſertim eorum qui febri ſimilibuſque acutis morbis conflictantur.

Quod vero phantaſia in dormientibus, idem & in ſanis quidem corpore, at ſpeculationibus & meditationibus nimium deditis, perficere poteſt.

Et eſt ſane arrogantia nefanda, & faſtus intolerabilis, quod multi prophetias quales quales legunt non humili, atque ſimplici animo, ſed & ſeipſos alioſque ſecundum conjecturas ſuas inde hauſtas dirigere conantur: qui non ſolum ſcientiam diſcernendi verum à falſo, verum etiam verba ambigua atque intricata explicandi ſibi aſcribunt.

Quid quod prognoſtica illa crebro ſibi invicem è diametro adverſantur & contradicunt? Circumfertur vulgo prophetia, quæ Iohanni Carioni aſſcribitur, jamque anno 1549. typis excuſa eſt, in qua res Iuliacenſes, Vngaricæ, Bohemicæ, Brunſuigicæ atque Saxonicæ ita depictæ cernuntur, ut primo intuitu videatur, neceſſario illam impletum iri. Et certe omnia ita diſponi cœperunt, ut nemini fere de certitudine ejus fuerit dubium; præcipue vero de illo, album ſcilicet leonem, cum gemina cauda, veſtem ſuam tribus lineis interſtinctam alba & nigra ulterius geſturum non eſſe. quæ tamen omnia diverſum habuerunt eventum.

Nec quenquam latent vaticinia, viſiones & picturæ, de leone variaque illius fortuna, proxime præteritis annis divulgatæ: contra tamen Paracelſi illud prognoſticum, ut quidam volunt, adimpletum eſt, qui leonem viribus fractum depinxit, eique ſuperſcripſit verba hæc: Quanquam Deus largitus eſt tibi, ut timearis & formidabilis ſis: tamen etiam virgam tibi paratam ſcias, qua dorſum tibi commitigent, ita ut te ipſum ſupportare nequeas, dicentque cum admiratione, Quis unquam cogitaſſet, hunc tam placidum reddi poſſe?

Iohannes Liechtenberger, quem quidam

dam de Claromonte nominant, multis ab hinc annis practicam in lucem emiſit, de magna illa conjunctione Saturni & Iovis, quæ anno 1484. accidit, itemque de eclipſi Solari ſequentis anni, addiditque praxin illam uſui futuram uſque ad annum 1566. Videtur tamen illa prophetia non ex fundamentis Aſtronomiæ, ſed ab alia ſcaturigine proceſſiſſe, quodque dicis cauſſa ſolum protulerit ea quæ dicta ſunt de conjunctionibus planetarum, de eclipſibus & ſimilibus rebus, quæ forte ex antiqua quadam propheria alicunde mutuo ſumta, & ab ipſo forſan non bene intellecta in Aſtrologicum Prognoſticum redigere voluit.

At cætera illa quæ de Bohemia & Palatinatu ab illo prædicta ſunt, non male ad res in iiſdem locis præteritis annis geſtas, nec dum etiam finitas, omnia accommodari poſſunt.

At etiamſi ille reſpectu rerum ipſarum nihil feſellit; tamen reſpectu temporis plurimum deliravit, dum illa ad ſuum ſæculum direxit. Vnde Theophraſtus Paracelſus vaticiniorum illorum interpres, (quæ interpretatio etiam in 2. parte operum illius, fol. pag. 608. & ſeqq. extat) capite 22. in quo de Palatino ad Rhenum agitur, refert, Liechtenbergerum conſtellationem Principum Palatinorum

norum introducere, quæ quamvis præterierit, rem ipſam tamen multis paraſangis non attigiſſe.

Profectò, quemadmodum ſancta Scriptura à diverſis hæreticis diverſimode & contrario modo explicatur, qui non quod in Bibliis extat, ſed quod affectus, amor aut odium cuique ſuggerit depromunt: ita, & quidem multo magis, depravantur ipſæ prophetiæ, quanto obſcuriores & intricariores ſunt, atque plures diverſas explicationes admittunt.

Certum quidem eſt, quod ſi uno aliquo eodemque ſæculo multæ prophetiæ atque prognoſticationes ſimul aut ſubinde emittantur atque prodeant, ſignum id eſſe infallibile, innovationis aut ſingularis divinæ operationis. Sic enim Guicciardinus libro 1. Hiſtoriarum ait, hoc idem eveniſſe, quo tempore ſtirps Arragonenſium ex regno Neapolitano ejecta, Italia & Gallis & Hiſpanis multos continuos annos vaſtata, atque omnes fere illius ſtatus immutati fuerunt.

Quid nobis hoc tempore exſpectandum ſit, ſolus Deus novit, ego miſer peccator tanta ſcientia me non dignor.

Il Paſtor Fido At. 5. Sc. 6.

Si volontario foſſe
De 'l Profetico lume il diuin' vſo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Saria don di Natura, è non del cielo,
Sento ben io ne l'indigeſta mente,
Che 'l ver m' aſconde il Fato.
E ſi riſerba alto ſegreto il ſeno.

Solum precor Deum O. M. ut me cum aliis, ſerio idem deſiderantibus ab omni quod animæ officere poteſt clementiſſime præſervet. Sicque diſcurſum hunc concludo cum illo Sancti Iohannis in Apocalypſi: *Domine Ieſu Veni.* Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit nobiſcum omnibus. Amen.

Epilogus & Encomium Magni Imperii Romani.

AVD. O ſermonem æternum mihi utilem, & jucundum! & clara voce fateor, nunc denique admittere & concipere me cogitationes tanto illo imperio dignas. Inter quas tamen & iſtam: Fueritne utile gentibus ſub tam magno illo eſſe? an non nimia & aſpera iſta ſervitus, ſine vindice & domino quem appellares? LIPS. Haud inepta nec importuna quæſtio: & ſcio eſſe, quæ illud damnare aut certe accuſare poſſint; ſed plura ac graviora, quæ abſolvere & allevare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

allevare. Inprimis quanti facias, ſub magno tali imperio pacem ac quietem gentium ubique fuiſſe? Nuſquam arma, hoſtis, prædo; arabant, ſerebant, metebant; convivia, conjugia inibant; liberos gignebant, educabant: omnia ſecure, & nec auribus quidem læſis rumore belli. Nam ſi quod tale erat; cum barbaris nempe & longinquis, & quod velut ludicrum aut fabellam, tuti limitibus & præſidiis ſuis, audirent. Pulchre Ariſtides: Bella vero vix unquam nunc creduntur exſtitiſſe, ac pro commentis habentur à pleriſque. Quod ſi alicubi ad limites conflictus fuerit, (ut in magno & immenſo facile fit, ob Getarum inſaniam, vel Afrorum miſeriam, vel rubri maris accolarum infelicitatem, qui commodis boniſque ſuis neſcierunt uti) mox iſta, tanquam fabulæ, cum omni memoria evanuerunt. Tanta pax apud vos viget, ô Romani, etſi militiam bellumque habetis inter patria inſtituta. Atque iterum idem (quomodo enim melius certiuſque vetera repræſentem, quam veteris ſcriptoris verbis?) idem in eam laudem: Vniverſus orbis ſub vobis, tanquam feſtum diem agitans, quos olim gerere ſolebat gladios depoſuit, ad convivia autem & reliquam omnem lætitiam liber ſe convertit. Et aliæ quidem contentiones aut certamina ur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

bes reliquerunt; unum omnes habet, ut earum quæque pulcherrima & jucundiſſimo aſpectu appareat. Itaque omnia plena gymnaſiis, fontibus ſive aquæductibus, porticibus, templis, tabernis, ſcholis: ut aliquis vere dixerit inclinantem & labantem mundum, reſtitutum à vobis eſſe. Nec urbes ſolum ſplendore & decore lucent, ſed tota adeo terra, inſtar horti aut paradiſi, conſpicitur exculta. Vt miſeratione plane digni videantur, ſi qui imperio veſtro non ſubjacent (qui pauci tamen ſunt:) ut qui tantis bonis careant. Hæc vere & floride dicuntur, & capiunt me recitantem: etſi non minus uno ictu penetrat Cornelii noſtri breviloquium: Quippe immota, aut modice laceſſita pax: quod ille de Principum ævo ſcripſit. Iam vero alterum bonum, quanti eſt, Communicatio inter ſe hominum & rerum, viis undiq; liberis commerciiſque? In animo tuo cogita, ſi tuto nunc Byzantium, Perſarum aut Sinarum regionem videre liceret: quam tu ipſe fortaſſe atque alii libenter & avide iretis? per tot terras & maria oculos pedeſque ferretis? AVD. Affectum meum tangis. capior unice peregrinatiunculis, & animum innovat ac vires novitatum ille aſpectus. LIPS. Optimus quiſque in hac cupidine: & alti æthereique animi, ut ipſe æther, gaudent

motu,

motu. Sed ſub tali igitur imperio, quam id licuit? tutius quam Belgis nobis hodie, non dicam ab urbe ad urbem, ſed pæne per urbem aut circa eam ire. Viſere illic licebat magna aut nobilia illa opida, clara & inclyta ingenia; Athenas, Alexandriam, Rhodum; diſertos aut ſapientes ibi viros; denique ad alia terrarum ſe conferre, diſciplinæ aut animi cauſſà. At mercatores, & quibus aliarum opum cupiditas, ii per maria omnia navigabant, ii per terras circuibant: unicos prædones aut piratas placantes, ſive metuentes, Publicanos. Sed uno & certo pretio placantes, nec eo gravi ſub Principe aliquo moderato & æquo. Itaque res longinquæ advehebantur, ignotæ antea oſtendebantur: & totus orbis ea communione, quaſi una civitas, fiebat, Quid dicam artes barbaris traditas aut invectas? Quid elegantiam, literas, & cultum animorum? Cum etiam omnes linguis diviſi, una Romana jungerentur, atque ea cum imperio quaquaverſum ſe propagaret. Plinius hęc graviter & merito attollit, in Italia dilaudanda: Numine Deum electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Iterumque alibi idem: Videmus, inquit, alia aliunde, ultro citroque, humanæ ſaluti (nam de herbis & re medica illic loquitur) in toto orbe portari, IMMENSA ROMANAE PACIS MAIESTATE, NON HOMINES MODO, DIVERSIS IN TERRIS GENTIBVSQVE verum-etiam MONTES & excedentia in nubes juga, PARTVSQVE eorum & herbas quoque invicem oſtentante. Nec minus Strabo: Romani multas gentes antea feras, ob montes aut locorum naturam aſperam, aut ob frigus aliamve cauſſam, ſub imperium aſſumentes; eaſipſas ex disjunctis & inſociabilibus, una commerciis junxerunt, & pro aggreſti vita, civilem agere docuerunt. Sed & Claudianus magnifice;

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes,
Quod ſedem mutare licet; quod cernere Thulen,
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus.
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod CVNCTI GENS VNA SVMVS.

O verba & res pulchræ! & poteſtne major eſſe voluptas, aut commoditas? Omitto gubernationem & leges fere eadem; pondera & menſuras, & numos: & plura, quorum bonorum ſenſus etiam hodie aliquis in Turcarum imperio eſt; & eſſet major, ſi leges & politia illic meliores. At noſtra Europa miſera, quam jam à multis ſæculis expers eorum eſt? jactatur aſſiduis bellis aut diſſidiis. quare? quia regna aut dynaſtiæ parvis aut modicis finibus incluſæ, ſemper in vicinos cauſſam habent timendi vel ſperandi, querendi vel ulciſcendi. Idem & ante Romanum imperium erat, quod Plutarchus aſſeruit: & pulchra imagine addidit, Iſtud velut ANCHORAM fuiſſe fluctuanti mundo. Quid proprie de noſtra Gallia triplici Cerialis apud Tacitum? Regna bellaque per Gallias ſemper fuêre, donec in noſtrum jus concederetis. Fuêre mi Auditor, & nunc erunt, donec talis aliquis eventus. AVD. Per ignem ſermones tui eunt, & vide ne amburare. LIPS. Ego vero apud te libere, & ut Philoſophi in ſcholis, de Republica diſſero: neque ſunt iſta, neque erunt fortaſſe; & (dicet aliquis) nec debent. Deo eventus permitto: ego arbitror & ad Religionis unitatem, & ad ſubditorum omnium uſum, & denique contra communem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Turcarum hoſtem fore, potens & validum caput unum. Tu Deus SALVS ET TVTELA RERVM, da quod expedit; da, ſi non imperio, ſaltem fœdere coire ac jungi; da lætos & pacatos ad læta & pacata loca tua venire. In quo finio, & te mi Adoleſcens, dimitto.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 D 21